



*Nb. 19.*













SERENISSIMO ET POTENTIS-  
SIMO PRINCIPI AC DOMINO:  
DOMINO


FRIDERICO WILHELMO,  
Marchioni Brandenburgensi, S.  
Romani Imperij ArchiCamerario & Electori Se-  
ptemviro, in Prussia, Stetini Pomeranorum, Juliae,  
Clivorum & Montium, Cassubiorum & Vandalo-  
rum, nec non in Silesia Crosnensium & Jagerndof-  
fensium Duci, Burggravio Nurnbergensi & Principi  
Rugiae, nec non Halberstadensi & Mindensi, Co-  
miti Marcae, & Ravensperae, Domino Ravensteinij  
&c. Domino suo benignissimo &  
clementissimo.

SPECULUM HOC

*De*  
HODIERNORUM MONACHORUM  
VOTIS

*offert, dicat, consecrat*

JOSEPHUS ADJUTUS S.S. Theolog. D.  
& Linguae Italicae Extraordinarius Professor  
Publicus.



WITTEBERGÆ

E CALCOGRAPHEO MICHAELIS WENDT ANNO 1650.





**N**unc ubi turba DEI Christo surgente triumphat,  
Atq; Duci reduci læta trophæa ponit;  
Marchica FRIDRICUM VVILHELMUM  
terra salutat

Ejusq; amplexu non satianda venit.

Phœbus adest, inquit, sequitur sua Cynthia Phœbum,  
Irradiat nostrum lux geminata polum.

Hæc Patriæ populis quoq; sunt audita remotis  
Jubila, sicq; simul me dare vota jubent.

**Quem via vestra Ducem tenuit  
comitemque, paternâ  
Vobiscum properet tectâ subire  
DEUS.**

**Invida quo cæptis non obstant  
Numina vestris,  
Grata sed ut Patriæ sint ea, gra-  
ta DEO.**



*Ms. 19*





**C**lementiam Tu-  
am diu multumque demi-  
rans, Serenissime Princeps,  
stupore quodam ineffabili ejus-  
dem defixus hæsi. Verecun-  
diæ enim me excessurum limi-  
tes putabam, qui Serenitatis  
Tuæ conspectum adire exiguam opellam hanc oblatu-  
rus conarer. Verum enim verò, cum Virtutum tua-  
rum, quibus orbem implevisti, clarissima temperies;  
tum in primis benignitas illa maximè singularis & ce-  
leberrima gloria, quæ omnium ore ubique terrarum  
prædicatur, ad sublime illud fastigium tantæ Celsitu-  
dinis mihi aditum aperuerint, Factum est, ut creverit  
animus ac Serenitati Tuæ me humiliter sistendi &  
quicquid hoc est, de votis hodiernorum Monacho-  
rum à me conscriptum, offerendi demissè impetum  
sumserim. Ut sicut revocatoria mea anno abhinc septi-  
mo Wittebergæ habita, ac Dn. Johanni Georgio Saxo-  
niæ Duci & Sacri Romani Imperij Electori &c. Domino  
meo Clemētissimo dedicata orthodoxorum cœtui me  
conjunctū exhibuit: Ita hæ paginæ constantiā meam in  
agnitâ veritate Serenitati Tuæ declararent. Deinde  
ut inde aliæ nationes & populi exemplum caperent  
obsequij atq; observantiæ ergò Serenitatis Tuæ virtu-  
tes exhibendæ quas ab ultimo Oriente reverenter ha-  
beri intelligerent. Quas licet plenissimo affectu o-  
mnes venerentur & celebrent; Nemo tamen morta-  
lium pro dignitate deprædicare & celebrare poterit;  
adeò orbem laudibus suis quasi obruerunt universum.

A 2

Quare



Quare & ego jam hinc jure fileo idq; nunc tantum: Sup-  
plex rogo ac precor, ut exiguum hoc monumentum Cul-  
tus atq; observantia mea in Inclytissimum Tuum No-  
men sereniori fronte dignetur admittere, nec tam ob-  
lati pretium, quam offerentis obsequium ac pietatem  
in eo aspicere.

Ego vero, quantum in me erit, cum assidue  
atque ubique Tuæ serenitatis benignitatem & Cle-  
mentiam admirabor, & colam, tum præcipue in con-  
spectu omnipotentissimi DEI Eam cum inclutissimâ  
uxore ac suis manè, meridie, atque vesperè, pijs  
devotisq; precibus sistere, haud desinam, ut hic beni-  
gnissimus Pater Eam cum totâ Inclytissima domo salvâ  
atq; incolumem conservet, actionesq; ejus & consilia  
perpetuò prosperet, atq; illius Regimini benedicat, &  
ab omnibus malis semper tueatur, pro Salvatore no-  
strum JESUM CHRISTUM in secula seculorum bene-  
dictum. Amen.

Dat. Wittenbergæ Octavo Calendas Aprilis  
Anno 1650.

*Serenitatis Tuæ*

Devotissimus Cultor, atq; apud  
Deum intercessor

Josephus Adjutus. D.  
Ninivita.



## TRACTATUS PRIMUS.

*Quod hodiernis Monachis non Conveniat  
Monastices nomen.*



**A**ggressurus Tractatum hunc de  
vitâ & moribus recentium Monacho-  
rum nostri temporis, Exordium à no-  
mine capiam: Quod à priscis Patribus  
variè consideratur. Nunc enim DEI  
cultores Monachorum nomen, nunc  
Philosophos, nunc pugiles, nunc supplices, nunc cœ-  
libes, nunc deniq; Regulares & Religiosos significare  
asseruerunt.

Dionysius Areopagita Monachorum nomen non a-  
lios significare dicit, quam DEI cultores, quia præ cœ-  
teris DEUM purè colunt. Johannes Chrysostomus eos-  
dem Philosophos vocat, homines scilicet in semet-  
ipso severos, rerum temporalium contemptores, &  
cœlestium ac divinarum rerum contemplationi dedi-  
tos. Basilii pugiles vocat, quia eorum proprium offi-  
cium est virtutum luctamen, quo ad illas perfectè ac-  
quirendas se assiduè exercent. Philo istos supplices  
nominat, quia eorum præcipuum munus est DEUM  
orare & laudare. Cassianus Cœlibes, quia à Conjugijs  
& mundi hujus conversatione abstinent, & soli DEO  
per contemplationem inhærent. Bonaventura verò &  
Thomas Aquinas regulares & Religiosos vocant. Re-  
gulares quidem, quia cuidam certæ Regulæ vivendi  
addicti sunt. Religiosos autem, quia se totos DEI obse-  
quio manciparunt.

A, 3

Quàm



Quàm aliena, quamq; inconvenientia hæc sunt nomina recentibus nostræ ætatis Monachis! Nam, qui DEUM purè colit, is nullam rem temporalem, nullam creaturam contrà DEUM, aut supra DEUM amat, aut cupit: Sed illum ita adamat, ut pro illo omnia despectui habeat. An ita se gerant nostri temporis Monachi, aut Regulares, ipsimet judicent. Conscientiam diligenter examinent, & invenient se haud rarò creaturam DEO præposuisse, nedum æquasse. Quod, ut pateat, omissis alijs unum ex Regularibus exempli gratiâ allegabo, cujus & nomen supprimam, ejusdemq; ordinem, non nominabo.

Is ergò dum Monialium confessiones audiebat Romæ, cujusdam Monialis amore usq; adeò captus erat, ut impos sui factus incensum illi adoleret, nedum eam præ DEO adoraret, quod faciebat horrendum auditu, posteaquam cum illâ concubuerat. O detestandam & execrandam impietatem? Eò insanix ac dementix pervenerat scelus hoc, ut cultum DEO vivo & vero debitum, perperam ac præposterè in creaturam mortalem, corruptibilem, & fortassis inter mortuos deputatam transferret. Diabolus, qui sæpe suam astutiam in suis membris DEO cultum debitum rapientem manifestare cupit, post longum tempus, manifestavit, Quoadversarius DEI & in suis cognosceretur. Hunc autem sceleratum hominem deprehensum brachio Magistratus sui ordinis superiores tradiderunt: Qui in eum graviter animadvertit. Nam neq; barbâ rasâ neque habitu Ecclesiastico detractò in patibulo, quod in campo florum erectum erat, plantarunt. Quare longo habitu longaq; barba egregius ille purè DEI cultor  
in pa-



in patibulo pendeat, omnibus populis & nationibus spectabilis, soli & lunæ verò contemptibilis.

Neque nomen Philosophi Monachis nostræ ætatis, quos Ecclesia Romana defendit, nedum tolerat, convenit. Nam nostri temporis Monachi homines sunt gulæ & ventri addicti admodum, molles, & sibi plus nimio indulgentes (curant enim mirum in modum cuniculam genioque indulgent) rerum visibilium cupidissimi; ac tam procul à divinarum rerum contemplatione, ut tanquam Bruchus in terra reptent, & terrena sapiant, meditentur & loquantur, ita ut in illos appositè Apostolus locutus fuerit, dicens, Multi enim *philipp. 3. v. 18.* ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis CHRISTI; quorum finis, interitus; quorum DEUS venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Gloriam in sua confusione recentes habere Monachos, dicit Apostolus. Quia peccata à se perpetrata quibus confunduntur & damnantur, apertissimè sine pudore, sine timore prædicant, atque in illis gloriantur. Quippe qui suæ professionis sunt obliti, præfractæ evadunt frontis. Terrena quoque verè sapiunt. Quia aulica & mundana negotia, quæ hodiè, poltica vocantur, tam optimè tractare norunt, ut vel Diabolum Callidorum omnium patrem superent: temporales res & divitias tantâ aviditate disquirunt, ut non sit domus, quam non perlustrent, in quâ ubi obulum illis promissum fuerit, coronatum facilè expalpent. Delicatis cibus tãquam sues vel se volutent, atque in vino haud rarò nepotantur, hos ergo nequaquam in seipso severos dixeris, nec rerum temporalium contemptores, nec denique sapientiæ amatores, sed suarum voluptatum miserrima mancipia.

Quarum



Quarum reverà mancipia sunt, dum in luctamine virtutum positi ad vitia aspirant. Tantum enim abest, ut concertatione ad virtutes tanquam pugiles recentes Monachi contendant, ut maximè omnia vitia æmulentur. Certè plura sunt hodiè peccata, & majora in Monachorum recentium conventibus, quam in lupanaribus. In lupanaribus enim non audent fortassis perditii homines, quæ in cœnobijs perpetrantur, committere. Quia facilè cognitis hujusmodi nefandis peccatis, quæ omninò in cœnobijs committuntur: illos utiq; flammâ & ferro Magistratus puniret. Quod inter Monachos nequaquam fit. Quare cœnobia hodie lupanaribus sunt pejora. Illud tamen non est ommittendum, quod tanquam supplices DEUM orent & laudent recentes Monachi, ut antea prisci, qui verè supplices dicti sunt, fecerunt. Et quidem Dei laudibus incubuerunt prisci, at recentes, in confesso est, non item. Rarò enim chorum adeunt non admoniti, imò verò & admonitioni sæpissimè adduntur minæ, ne sequantur pœnæ, sed tamen frustra. A Conjugijs autem nostri temporis recentes Monachi, ut prisci olim, abstinent quidem: sed concubinas contra DEI legem suamq; professionem tenent. Egregia verò hæc est continentia in cœlibatu, quâ plures, aut quotquot habere possunt, amplectuntur fœminas: ac proximorum uxoribus infidiantur. Vix enim vel honestæ matronæ in suis ædibus ab effrænata recentium Monachorum libidine sunt securæ. Nam publicè eas aggrediuntur, suâq; cum illis complent libidinem, Horrendum sanè auditu. Quod aliquando evenisse asseverant oculati testes. Placentiæ enim quædam pientissima & honestissima matrona domi suæ unâ simul cum suis confan-



confanguineis & amicis ad prandium convocatis ad mensam post prandium cum sederet: interim ecce quidam Monachus Capucinus relicto socio in atrio ascendit sursum, ingreditur conclave, discumbentibusque se sistit, cui illi assurrexerunt omnes, excepturi benignè: At ille ad hæram, inquit, habeo quod dicam, vestrà venia, quæ cum audisset, secessit à discumbentibus, atque ad ipsum ulterius accessit, quam cum seorsum à discumbentium oculis duxisset, in ejus cameram, ne verbum quidem ei dixit, nec arte ovidianâ usus est, ut scilicet post oscula sequerentur facta: sed statim tanquam irrationabile pecus eam est aggressus, atque amplexus ejusque pudicitiam oppressit atque ita ab illâ è vestigio discessit. Mansit illa ibi præ stupore diu consternata; quare eum statim sequi non potuit. Convivæ ergò quæsituri ad eam veniunt (mirabantur enim cur Capucinum pro more non deduxerit) videntque attonitam adhuc parieti enixam stantem, sciscitantur casum, vix poterat eos præ pudore & stupore alloqui aut intelligere. Ad se tandem reversa, narravit factum. Ehu quam lamentabilis est hodie Romanæ Ecclesiæ status, in qua similes scelerati defenduntur, nedum tolerantur.

Conversationem verò turbarum ac malarum catervarum, quo possint commodius DEO inservire eique ex animo adherere, haud declinant, quin etiam inhonestis & scurrilibus, quibus delectantur, facilè se adjungunt conversationibus, ut à scurris discant scurrilitates, secus enim quomodo in Bachanalibus Comœdias repræsentabunt? Hæc recentium Monechorum devotio est in contemplatione, hæc sanctimonia in Cœlibatu.

B

Regu-



Regulares autem nec esse nec dici possunt. Quia uni Regulæ, ut Bellarminus vult, non sunt addicti, cum ex unâ Regula vel tres, vel quatuor, ut patet ex regulâ S. Francisci, fecerint, atque in varias constitutiones dividerint. Nam conventuales habent suas Constitutiones, observantes suas, Capucini suas, Tertiarij, vel qui in Cuculla rostrum gerunt, habent suas. Idem factum est de Regulâ S. Augustini & aliorum. Quare non sub unâ Regulâ militant, sed ex unâ plures fecerunt, imò & quilibet habet suam Regulam & Constitutionem, cum, prout vult, vivat. Hi porrò àcerrimè inter se certant, de genuinâ prioritate quam quilibet in ordine suo prætendit, ratione primatus propter quem capucini sæpe cum conventualibus litigârunt, & conventuales itidem cum observantibus, & quandoq; tanto furore & indignatione concitaverunt se, ut in processionibus publicis sese pugnis vicissim graviter exceperint, ac manubrijs crucis verberaverint ad sanguinem usque.

Nec Religiosi dici possunt. Quia non soli DEO serviunt, ut vult Bellarminus: sed inserviunt mundo non minus quàm alij mundani: Atque adeò pejus. Inter mundanos enim rari sunt fures, inter recentes verò Monachos nemo excipitur. Nam Guardianus monasterij redditus partim accipit, partim procurator consumit. In Ecclesia verò Elemosynas Missarum celebrandarum itidem partim Sacrista, partim Confessarij à manibus fidelium rapiunt; superbiæ studium, iræ, vindictæ, & odij, quo alter alterum ad necem insectatur, omitto. Et peccata diabolica, quæ inter mundanos rarò eveniunt, inter recentes Monachos quotidiana sunt. Hoc autem non est charitatis DEUM, & proximum



ximum propter DEUM diligentis, sed Diaboli, ejusq;  
Discipulorum utrumque odio & invidia insectantium  
Quare non Religiosos, sed Diabolicos, sed lupos inter  
oves Christi, sed animarum necatores, sed alienarum  
rerum & vitæ grassatores dixeris. Illud ergo, quod  
Bellarminus priscorum Autoritate nititur probare, ea-  
que recentes Monachos pios in DEUM, severos in se,  
sanctos, cœlibes, virtutibusq; deditos, regulam obser-  
vantes monasticam, & Religiosos denique demon-  
strare. Non spectat ad nostri temporis Monachos, sed  
ad priscos, de quibus locuti sunt præcitati patres.

## TRACTATUS SECUNDUS.

### *De vana continentia hodiernorum Monachorum.*

Monastica Professio tria imprimis complectitur; Per-  
petuam Continentiam, Paupertatem voluntariam &  
obedientiam, secundum Regulam Ordinis propter  
DEUM superiori seu Abbati exhibitam. Hæc autem tria  
solemni juramento (præsentibus omnibus Patribus &  
Fratribus conventus destinati novitijs professuris)  
complicatis manibus suis, & in manu superioris seu  
Abbatis positis, qui professurus est, ita sanctè promittit:  
Ego N. Voveo & promitto DEO omnipotenti, Beatæ  
Mariæ semper Virgini, omnibus sanctis, & tibi, Pater,  
toto tempore vitæ meæ servare castitatem, paupertatem,  
& obedientiam &c. Abbas verò illi respondet, pro-  
mittendo vitam æternam, sic, si hæc servaveris Ego  
tibi promitto vitam æternam. Jam verò quæro; unde  
Abbas accepit, ut possit vitam æternam Voventi serva-  
turo castitatem, paupertatem, & obedientiam promit-



tere? Num ex Vet. Testamento? nequaquam. Nullus enim allegabitur locus in quo DEUS servantibus huiusmodi vota, promiserit vitam æternam. Num ex Nov. Testamento? id quis probaverit? Neutiquam. Quâ ergo auctoritate, quâ potestate, quo consilio, aut auxilio, quo denique jure professuro horum trium votorum observationem Abbas promittit vitam æternam? Nempe suâ, suorumque Antecessorum potestate. Atqui hoc omninò præsumtuosum, nedum temerarium est. Nulli enim promissioni divinæ innititur. Quare ut vanum est fundamentum & futile, ita omninò & promissio. Futile reverà & vanum est illius promissionis fundamentum. Quia non ex fide: Quia qui deum non colunt frustra doctrinis & præceptis hominum illum quærunt. Et quod ad continentiam attinet, quis eam in tanta multitudine recentium Monachorum servat! Certè inter mille si unus inveniretur, continens (quo dubito ad modum) is tamen non ideò studet continentia, quia eam promisit sanctè: Sed quia donum tale ad illam servandam à patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, habet. Nam cui id DEUS non dedit, quomodo continebit? Cum nemo possit continens esse, nisi DEUS dederit. Propterea omnes, quotquot sunt, qui continentiam profitentur, & eam non servant, DEUM utiq; tentant: imò vero illum graviter offendunt. Simulant namq; sanctitatem, continentiam comminiscuntur, frondes floridas & virentes ostendunt, fructus tamen factis negant.

*Matth. 15.  
9. & Marci  
7.7.*

*Jacobi 1, 17.*

Quod ut pateat, primum quod Romæ vidi, ubi caput sanctitatis & Religionis residet, pietasq;, (ut ipsi volunt) floret, referam. Et sic ordine deinceps com-  
memo-



memorabo. Recentium ergò Monachorum Romæ neminem castum & continentem vidi: sed aut in Urbe scortantem, aut in monasterio cum junioribus Monachis, qui jam professionem emisissent, castitatemque voverunt, concumbentem. Quod utrumq; docent esse licitum, nec esse contra conscientiam aut professionem, quâ castitatem voverunt. Prius sic probant. Nam, quanquam castitatem, paupertatem & obedientiam promiserunt: nihil est tamen contra votum, si in civitatem scortentur, habeant propriam pecuniam extra lectum, non obediant extra refectorium. Hæc enim tria vota promissa suas habent exceptiones. Castitatem videlicet ad altare dum sacrificant, paupertatem itidem in lecto dum quiescunt, obedientiam denique in refectorio, dum devorant, promiserunt. Pulsu enim campanæ accedunt ad refectorium pransuri & cœnaturi, atque ad ejusdem pulsus surgunt gratias acturi atq; ad sua negocia properaturi.

Quantum verò ad Sodomiam attinet hanc esse naturalem demonstrant. Nam videmus inquit, naturaliter unum suum aggredi alium, eosq; ascendere. Asinos quoque mares mutuò petere, quod sanè non facerent, nisi liceret naturaliter; Quare Natura manifestissimè ex animalibus docet talem actum esse licitum. Ergò & nobis liceat, sine scrupulo mollibus frui. Egregia verò hæc est doctrina continentium.

Ad scortandum autem hodierni Monachi ita se gerunt: Diaboli aliquam equam, nempe vetulam, quæ lenocinium exercet, ad templum vocant, (quod semper adjunctum est monasterio) atque in aliquo scamno cum illa ad sedendum, confabulaturi de Amasiâ, quam cupiunt, se componunt. Aut ut omnis suspicio

B 3

amo-



amoveatur, si confessarius est, in suo confessionario sedet, quasi vetulæ leocinastis confessionem audiret. Atque ita de tempore & horâ adeundi scortum conferrunt, horamque diei aliquam præcisè, si in die visitandum erit, determinant: sin autem totâ nocte cum illâ erit concubendum opportunè horâ vespertinâ, ut venturo pro qualitate cœnam præparet, illi significatur. Cœna autem talis non est vulgaris, sed opipara & splendida. Neque enim fabæ & lentes, quibus olim prisci Monachi vescebantur, apponentur: sed phasiani, perdices, turtures, lepores, anseres electi ex grege anserum, gallinæ & prorsus omne quadrupes & volatile Sanctorum conjugum, profanorum, inquam, in unum convenientium operient mensam. Interim dum culina fumat, & assatura volvitur, elixanturq; carnes, sic ortum se comit, sollicitumque expectat venturum monstrum, anxie prospiciens per cancellos, nec desinit, donec venientem videat. Ille statim ac venit, domum laqueatam ingreditur, benignè exceptus eam, salutatur, ac non tam celeriter vultur rapit aves, quàm se mutuò amplectuntur, osculanturq; & post pauca verba ad facta veniunt. Hoc est jentaculum scilicet apponendæ cœnæ, ac præparatio ad sequentis diei recitandum matutinum, conscleratisque manibus & pollutis labijs celebrandum Missam. Hæc est illa ementita sanctitas nequitia, qua noctu filium veneris agitant in cubili, mane filium virginis, ut opiuantur falsò, sacrificant in altari. Nocte Venerem amplectuntur, manè virginem venerantur.

Hoc sæpe perpetrant & exempla suarum pravitarum viarum in diem relinquunt: quæ omnia afferre non est hujus propositi, sed, si per ætatem licuerit alias,  
nunc



nunc quædam recentia hic conjiciam, illud ergo memorabile est, quod Venetijs quidam recens Monachus ad suorum augmentum vitiorum edidit. Is unâ simul cum in lecto quodam cum famoso scorto jaceret, alij zelotypi, tempus traducturi ad illud veniunt, ac Monachum deprehensum (habebant enim ædium clavē, ut intrarent quando vellent) in cista ponunt, atque hanc clausam postero die illâ ipsâ horâ, quâ ille concionaturus erat (quadragesimalis enim erat concionator) in templum asportant, atque ante altare majus in cista clausum, quam illicò coram populo ad concionem convocato, ut pudefacerent illum, reponunt. Verùm ille istis astutior fuit. Nam apertâ cistâ non exivit, sed in eâ sedens amictus indusio ad convocatum populum appositè & optimè concionem habuit; Quæ profectò illi pro voto successit. Nam currens Evangelium illius Diei de suscitatione Lazari erat, quem ita ad vivum repræsentavit de cistâ, ut ille ad vocem DEI incarnati excitatus intuenti populo Bethaniæ se obtulit de speluncâ. Itaque infamiam suam suâ astutiâ & sapientiâ proteguit. Hæc sanè gravissima sunt, sed graviora, quæ sequentur, erunt omnino, atque horrenda nefandaque sunt. Simile enim evenisse vix credibile est in orbe Christiano. Papiæ duo Monachi regulares, ut vocant, postquam cuidam virgini pulcherrimæ semper assensum ipsis renuenti diu insidiati sunt: tandem die quodam solemniū processionum, quò & fœminis Monasteria ingredi licet, indulgentias consecuturis, vanis quibusdam promissionibus capta est simplex puella, ac de templo in cœnobium introducta. Postquam varijs blanditijs eam detinuerunt, mero, quantum fieri potuit, obruentes, atque ita eâ noctu usi sunt  
alter-



alternatim pro lubentiâ; ne autem postea illorum flagitia detegerentur, circa auroram eam necarunt, atque in templum deducentes aperto quodam monumento, eam in illo posuerunt. Postero autem die quaeritur puella à suis, & vel maximè à matre, cui responsum est ab illis, quos illa noverat, (frequentabant enim ejus domum propter filiam) se nescire. Quibus illa, quid? Nescitis? Ego plus satis scio, filiam meam heri in vestro fuisse templo. Parvi refert, ajunt illi, quod illa in nostro fuerit templo: Nam & aliæ fuerunt, Interim rumor in civitate incredibilis volabat, talem puellam amissam in templo.

Tum pauper quidam, qui divino consilio in scamno dormiens manserat in templo ad matrem pergit, eique de filia factum aperit. Nempe, quomodo monumentum quoddam in templo aperuerint illi, atque in illud ejus filiam necatam dejecerint. Currit afflicta mater in Templum, lapidem à monumento evolvendum curat, ac filiam necatam videt. Heu, heu clamat, ululat mater, at neque clamor neque ululatus afflictam matrem consolabatur, aut juvabat: dum filiam suo sanguine rubentem videbat. Claditur interim cœnobium, interdicto itidem clauditur Templum. Quærantur incestuosi & homicidæ, sed non inveniuntur. Profugerant enim ad montes, ubi bannitos & grassatores peregrinorum, mercatorum, & similibus iter facientium agebant. Unde non contenti erant, belluæ illæ plusquam scelestissimæ, pluribus stupris & uno homicidio, imo vero & fortassis pluribus homicidijs (quis enim novit antea, annon similia commiserint) ad montes aufugiunt grassaturi. Egregius hic est status perfectionis, in quo non  
solùm



solùm præcepta, ad amissim servaturi ingrediuntur  
monasterium, sed consilia quoque. Veronæ autem  
non sic pro voto successit cuidam Cœnobitæ Domini-  
cano itidem honestam quandam Matronam discupien-  
ti, sed crudeliter pulsatus fructum suæ iniquitatis cen-  
tesimum accepit. Is enim cum esset hujus matronæ a-  
more captus, circa domum tanquam demens per am-  
bulabat, eamque ad fenestram cancellatam astantem  
pro more ad solatium, salutabat, iterum ac tertio resal-  
lutabat: Illa verò, quippe quæ humana, salutantem  
resalutandum existimavit: at iste statim ex humanita-  
tis salutationibus & signis conclusit illam posse haberi  
ad explenda sua desideria. Quare, postquam per a-  
liquot dies ædes illas frequentavit salutando: tandem  
ipsi exaravit Epistolam quandam, qua animum suum  
illi declarabat. Hæc acceptam Epistolam marito o-  
stendit lectitandam, is lectâ epistolâ jussit, ut illum ad-  
vocaret, eiq; promitteret fore, ut pro voto eâ fruatur.  
Illa, prout maritus jussisset, executioni mandavit, il-  
lumque advocavit, assignans ipsi horam à meridie, pro-  
ut maritus determinaverat. Interim maritus ad exci-  
piendum pro merito Cœnobitam se accingit, paratque  
durissimos & recentissimos fustes, quibus salutandus  
esset. Venit ergò ille lætabundus, ut fruatur dulcis-  
simis & suavissimis alienis amplexibus. Ad ostium cum  
esset, pulsat januam, & illicò ipsi aperitur, ingreditur  
domum, maritus statim ex inferiori musæo cum suis  
famulis illi occurrit, sciscitatur, quid quæreret (quasi  
verò nesciret)? Ille submissâ voce, quam præ timore  
ferè amiserat, respondit, se velle Dominam alloqui.  
Tùm statim jussit, ut famulorum alter dextrum bra-  
chium teneret, alter sinistrum: ipse verò utrâq; manu

C

cum



eum pulsabat. Quem tamdiu pulsavit, donec semi-  
mortuus caderet. Benè ergò pulsatus ambulare non  
poterat, sui advocantur, casus illis exponitur, literæ  
manu scriptæ legendæ offeruntur, sed ad hoc quid?  
Ergo in stragulo positum homines quatuor, qui singu-  
li straguli angulum tenentes in cœnobium suum a-  
sportaverunt. Ubi tres tantum vixit dies, & efflavit  
animam. Qui autem illum pulsaverat, cujus uxori in-  
fidia struebantur, is Nobilis erat.

Ad explendam autem præposteram libidinem faci-  
lius negotiantur, quam ad scortandum. Nam molli-  
bus monasteria non sunt interdicta, ut foeminis: sed  
liberum est illis ea ingredi quoties, & quando volue-  
runt. Quocirca ij die noctuque cum Monachis con-  
versantur. Detestandum, nefandum, atq; horrendum  
hoc peccatum tam frequens est in monasterijs, ut vix  
unum illo non laborantem inveneris. Quod semel in  
die, ut perpetrent, vix contenti sunt. Et tum maximè  
illorum libido hoc expletur, quando appropinquant  
celebriores, & insigniores solemnitates, ut est Festum  
Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Tri-  
nitatis, Corporis Domini, Festum portiunculæ, & id  
genus plura, quæ quotannis occurrunt. Tamen enim  
non solum hujusmodi lapsus carnis, ut vocant, qui  
prioribus & guardianis reservati sunt, dispensantur,  
sed falsa etiam juramenta, homicidia voluntaria, in-  
cantationes, veneficia, furta, sacrilegia, & id genus, quæ  
generali ordinis reservantur, dispensantur. In solemni-  
tatibus ergo insignioribus & celebrioribus, ubi alij  
spiritualia sibi beneficia accumulunt, isti peccata pes-  
sima, vitia, & flagitia horrenda coacervant. Talia autem  
flagitia cum secularibus non modo, sed cum juniori-  
bus



bus quoq; cucullatis in Monasterio committuntur. Pudor est, profectò hæc recensere, sed quid agemus, cum eos non pudeat ista facere, & seipsos, & alios in gehennam perducere. Horrendum sanè, quod sequitur mihi videtur, & detestandum admodum cuilibet.

Christiano pio ne eo tractus in æternam perditione se ultrò protrudat. Est autem hoc, quod quibus aliquando pecunia deest, sine quâ neque cum mollibus, neq; cum scortis quidquam efficere possint: in seipsis mollitiei peccatum perpetrant. Hoc genus obscœnitatis tam commune & frequens est inter recentes Monachos, ut vix ullus inveniatur, quin eo se polluat scio enim certâ scientiâ, aliquos istorum in unâ nocte bis & fortassis pluries hoc mollitiei peccato usos fuisse; manè autem confessos talia flagitia Missamq; celebrâsse. Verum gravius est, quod agebat, Quidam senio confectus monachus Castrovillari Calabriae oppidi. Is enim cum impotens ad scortandum & concumbendum præposterè, esset, adducebat molles juvenes in suum Musæum, qui alternatim se, ipso intuente ab uterentur, quò accenderetur & raperetur & ille ad præposteram libidinem. Peccatum itaque jam ipsum dereliquerat, sed ille hoc quærebat & non derelinquebat, Nimirum nequitia, qua omnium flagitiorum officina evaserat, eum esse senem non sinebat. Et extrema Malitia, quâ suam voluntatem depravaverat, in pejus eum compellebat, agitabatque. Hiccene timor & tremor est ille, quibus isti salaces galli gallinacei serviunt Domino, cujus & præcepta & consilia pesfundant, neutra servât? Hæccene est sollicitudo illa, de quâ admonet S. Petrus, ut per bona opera suam vocationem certam faciant? Hocce denique illud magnum



studium, quo mundo validixerunt, voluntatibus renunciarunt, se & sua abnegarunt! O lupi rapaces sub ovinâ pelle! O parietes dealbati! O CHristi JESU suorumque proditores! Certè apud vos majori injuriâ & ignominiâ afficitur CHristus æternus DEI Filius, quàm à Judâ proditore, quàm à Judæis & Crucifixioribus. Nam Judas carnem videbat, DEUM eâ velatum, qui à Diabolo obsessus, nec credebat, nec intelligebat. Crucifixores autem partim Judæi, partim Ethnici erant, qui nec quod agebant, intelligebant. Proinde pietatis Magister pendens in Cruce pro eis orabat, nedum excusabat, dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, & Paulus Apostolus itidem excusans ait, si cognovissent Dominum gloriæ nō crucifixissent. At isti prætextu fidei, & pietatis specie, eum crucifigunt nedum pessundant. Dicunt se præcepta velle servare ad amissim eum imitari, verbis & factis sequi, & consilia porro servare: Nihilominus tamen opera eorum, mores, vita, aliud admodum diversum ab eo, quod ganuiunt, præ se ferunt. Nam eum suâ vitâ diabolicâ nedum Ethnica in cœlo ad dextram DEI sedentem contemnunt, blasphemant, conculcant, quod Judæus, quod Ethnicus, quod Judas ipse impensissimè sceleratus non egit. Quare longè peiores Judâ & Judæis sunt. Illi enim contemserunt in cruce pendentem: Isti contemnunt in cœlo sedentem. Quid? Num non crucifigerent, si eum in terris ambulantem viderent, nam qui CHristum odio insectantur gloriosum, ij facilius & lubentius scribis & pharisæis illum mortalem insectarentur exosum. Quod ab istis adversus ipsum in diem atque adeò in horam fit. Propterea in  
summo.



summo Christianæ perfectionis gradu positi in quo peccata mortalia maximè vitantur: tradidit illos DEUS (ut Apostolicis verbis utar) in passiones obscœnitatis, ut æstuentes in invicem exardeant muscoli in masculos turpitudinem operantes.

Quæso, quis Prophetarum hanc vitam rursipissimam ipsis annunciavit? Quis Apostolorum docuit? Ubi nam divinarum scripturarum scriptum illis DEUS reliquit, ut prætextu pietatis & sanctitatis hypocritæ & reprobis sint? Producant vel unum locum, & sistendus erit stylus: quem nunquam produxerint. Quod nobis omninò possibile est, & facile. Nam CHRISTUS DEUS noster istis væ gehennæ minatur, Apostolus eos à cœlo excludit, prophetæ iram extremam illis prædicant. Et quidem CHRISTUS sic: væ vobis Hypocritæ. Apostolus sic: nolite errare, neque fornicarij neque idolis servientes, neque adulteri, neque masculorum concubitores, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi neque maledici, neque rapaces regnum DEI possidebunt. Tales hos esse hodiernos Monachos extra omnis dubitationis aleam positum est. Quis enim nesciat, eos esse hypocritas, qui prætextu pietatis sub ovinâ pelle Ecclesiæ DEI insidiatur atq; homines in æstimabili sanguine redemptos atque ad Cœlum vocatos malo suo exemplo, malis moribus & vita scelastissima necant, atque orco mactant? Quis ignorat esse fornicarios, idololatrias, (ut supra ostensum est) adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maleficos, raptores. Quis denique non videt, præter hæc vitia & flagitia, quibus quotidie tanquam galli gallinacei in sterquilinio, & sues in campo se exercent: esse geni-

1. Cor. 6. v. 9.  
Mathei 23.



mina viperarum? ut rectè concionatus est de his plus-  
quàm prophetā, dicens, Genimina viperarum, quis  
liberabit vos à venturâ irâ? Rectè profecto hoc nomine  
gaudent. Nam non minus quam viperæ veneno suæ  
invidiæ obarmati pios persequuntur. Certè sanctissi-  
mus & pientissimus habebatur ille inter Conventua-  
les, qui Romæ vicos & plateas, domus & palatia circu-  
mibat, clamans, sia lodato il nome di giesu & di Maria  
& san Francisco in Compagnia. Qui singulari astu ac  
dolo ab omnibus pecuniam expalans, eam, partim  
monasterij superiori, quo protegeretur; tradebat,  
partim quam nequissime in delicias & molles consu-  
mebat. Qui de die sine tibialibus, sine calceis, nudis  
pedibus, cilicio indutus incedebat, noctu verò cum  
mollibus nepotabatur luxuriosè, quibus & turpiter ad  
præposteram libidinem utebatur. Quæ tandem cum  
Magistratus ejus cognovisset scelera, eum non igni  
comburendum, non aquæ immergendum suffocan-  
dumque, non denique viperis venenatis vivum necan-  
dum tradidit: sed habitâ ratione habitus & ordinis ad  
tremem laboraturum condemnavit. Inter eosdem  
quis larinensi Generalatus officio fungente sanctior e-  
rat? & quis hodie sanctior illo Assisi? Et tamen cum  
quingagenarius esset, nequitia & malitia præposteræ  
libidinis corruptus usque adeò laborabat, ut se conti-  
nere non posset, quin quæreret, qui secum ad hanc ex-  
plendam, ageret. Qui cū Baccalaureus quidam Neapoli  
pro voto satisfactorius dum dormiebat, quævisset  
causam, cur hoc vitium etiam in ætate tam gravi ada-  
maret? Respondit, quod sentiret pruritus quendam  
ad hoc invitans. Tum quod ipse libentius huic præ-  
posteræ libidini operam daret, quam fœminis: quia  
cum



cum foeminis, quæ ut plurimum sunt infectæ & morbi-  
dæ faciliè acquiritur morbus gallicus: tum quia, Mulier  
altera mors & peior est juxta illud, inveni amariorem  
Morte Mulierem, quæ loqueus venatorum & fagena  
cor ejus, vincula sunt manus illius qui placet DEO ef-  
fugiet illam: qui aut peccator est, Capietur ab illa  
egregius divinarum scripturarum interpretes! *O Eccl. 7. v. 27.*  
obtenebratum & omni divino lumine iponatum in-  
tellectum! Hanc dilucidationem ex observantiâ  
divinorum consiliorum didicerat, quibus jam eva-  
serat perfectus Christianus scilicet! Certò tibi longâ  
oratione responderem, quod & faciam post hac si per  
ætatem licuerit, nunc vero brevitatis me evocat ad alia  
properantem. Sic pro more didicerunt interpretari  
scripturas, qui in monasterijs degunt, ubi pij in impios,  
& sancti in profanos faciliè mutantur. Nimirum mona-  
steria, & vel maximè hodierna in melius non mutant  
inhabitantes. Nam neque locus, neque status ullus  
adjuvat, ubi Spiritus deest. Certè paradyso nihil ju-  
cundius, cœlo nihil securius, sed tamen neque cœlum  
salvavit Satan, neq; Paradyso Protoplastum, ne cade-  
ret, munivit. Porro Loth in Sodomis sanctè vixit, in  
monte peccavit. Quapropter ad hoc, ut evadât pij, san-  
cti, observatores præceptorum & cōsiliiorum primò &  
principaliter requiritur Spiritus, quo standum & se-  
cundum DEUM ambulandum est, qui in monasterijs  
hodie omninò deest. Hoc ex querelis quotidianis,  
quas sacra congregatio Regularium in diem audit, ma-  
nifestum evadit. Neq; enim Spiritus sancti ductu ad  
Sodomiam, ad scorta, ad adulteria, ad furta, ad homi-  
cidia, & id genus plura agitatur, qui monasteria inhabi-  
tant.



tant. Absit. Atqui hæc ab illis perpetrantur, & fortassis majora, quàm dici & referri possunt. Quare Spiritum, quem habere contendunt non habent, quem si habuerunt, ingredientes monasteria, amiserunt. Mala enim societate, quæ in illis frequens est, facilè malum amplectuntur. Tantum enim abest, ut desit mala societas in monasterijs, ut potius passim in illis occurrat.

Bononiæ ego fui per annos tres, ubi horrèda & detestanda vidi. Et non in monasterio modò, sed in Templo quoque DEO ejusque cultui dedicato. Videbam enim juvenes Baccalaureos in Templo cum fœminis confabulantes, (de confessarijs, quibus talis potestas facta erat, nihil dico) cachinantes, scurrilia verba eructantes, quæ vel sanctissimos quosque corrumperent. Videbam molles monasterium ingredienti, cellas occupantes, cum Cœnobitis bellaria pretiosa devorantes, mero se inebriantes, & tandem ad præposteram libidinem explendam æstuantes. Et hæc in fectis DEO dicatis, ubi pietati vacandum est, non carni, ejusq; desiderijs, fiebant. semel ex Zelo divinæ legis cum hæc ad priorem, vel ut vocant, Guardianum, ut provideret referrem. Proba, inquit, hæc secus talionis pœnæ in te animadvertetur. Hoc terrore hypocritarum Magister ambitiosissimusque Phariseus silentium mihi imponebat. Incubui tamen probarurus, & cum semel quendam Neapolitanum deprehendissem in suâ Cellâ cum molli Adolescente, vellemque Guardianum advocare, dehortati sunt me amici quidam mei valdè necessarij, rogantes, ut pallio charitatis illum, illiusq; vitium tegerem. Quibus profectò coactè assensus sum. Quanquam nihil effecissem contra istum nefarium advocando superiorem. Nam iste in alius musæum mollem



mollem mittendum constituerat ( ut postea ipse factus est ) suum peccatum in alium innocentem refusus : Ad quem mittebat. Tanto enim astu erat praeditus iste, iniquus, ut ferè nihil inciperet non praevio dolo. Dolendum est sanè, quod eò versutiæ & nequitiæ pervenerit hodiè vita monastica, ut reverà de illà dici possit, Obscuratum est aurum optimum &c. Erant enim olim Monachi specimen pietatis, culmen factitatis, exemplar, documentum & æquitatis semita: Hodie verò facti sunt lupi inter oves, animarum necatores, bonorum raptores, pacis & tranquillitatis christianæ turbatores, litium, jurgiorum, & bellorum concitatores, mollium amatores, unà simul & scortorum concubitores, pessimarum artium inventores. Olim prisorum Monachorum Dux & Rex erat CHRISTUS DEUS noster: hodie recentium nostræ ætatis Monachorum Pædagogus est Diabolus: Qui eos ad discurrendum de mane usque ad vesperam per plateas & vicos civitatis cõpellit. *Eccl. 9. 7.* Contra illud noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Causa autem præcipua istorum discursuum non est, ut visitent pupillos defendendos, sed puellas stuprandas, non viduas in tribulatione consistentes sublevandas, sed fatuas juvenculas ad libidinem effrenatam alliciendas. Hæc non observatio est vitæ monasticæ, sed adhæsiõ vitæ diabolicæ, non vacatio divinis rebus, sed degeneratio à majorũ institutionibus. Monachi enim à solitudine nomen acceperunt, non à celebritate, non à frequentia populorum & fœminarum. Nostri seculi Monachi, si uno die non visitaverint, viderintque suas concubinas, postero die langunt & ægrotant amore absentis. Talis erat frater Ferdinandum Velguber mi-

D

nister



*Ecclesiastici*  
9. v. 12.

nister provincialis Bohemiæ, qui dum provincialatus munere Pragæ fungebatur, concubinam è regione templi tenebat, propè monasterium, ut ad eam accessus expeditior esset, ad quam sine pallio & pileo ibat visitaturus. Pallio & pileo non opus erat: quoniam ne jactu quidem lapidis à templo distabat. Tum etiam quia pallium pudoris intrinsecus deposuerat. Ideo qualem se esse intus voluit, talem palàm præ se ferebat. Contra illud adjungendo se huic fornicariæ faciebat, quo à Spiritu S. talis conversatio prohibetur. Ita enim locutus est per os salomonis. Cum alienà muliere ne sed eas omninò, nec accumbas cum illà super cubiculum. Is tanquam stolidum pecus hanc visitabat. Profecto ex his, quæ vidi bonà conscientiam testari & judicare licebit (scriptum est enim, à fructibus eorum cognoscetis eos) suam involutabro luti esse mundiorem hujus sceleris animam. O præclarum tantæ provinciæ prælatum, ut ajunt, lupum. Lupo planè is voracior & leontinis bibacior erat. Nimirum sine Cerere & Bacco friget venus. Cuticulam is summè curabat: At de DEO non meximoperè laborabat. O incredibilem audaciam? In ore is habebat asini mandibulam, & in membris Venerem. Hæc clamabat, nudo capite scoraturus rapior. Illà clamitabat bibiturus sitio. O impudentiam detestandam! Neque his commensationibus & computationibus solus sedulo operam dabat, sed ad has seculares suas umbras invitabct! Tolerabiliores omnino essent, si cum sui ordinis Monachis illas haberet: at quo ejus improbitas patefieret, alios similes ad opipara convivia invitabat. Similium ergò erat caterva cum similibus. Nimirum simile simili gaudet. Nec enim alios se agunt sub monastico habitu, quam



quàm seculares : Imò verò illis pejores. Nam seculares in conjugio colunt conjugalem continentiam mundam & castam : isti verò in cœlibatu colunt immunditiam, & uxioribus non suis insidiantur. O inauditum castiratis votum ! Voveo & promitto, ajunt, castitatem. Id est voveo & promitto me omnem conatum adhibiturum, omni arte nequitiae me usurum, omne denique genus insidiarum instructurum, omnibus fœminis, virginibus, maritatis, & viduis, honestis & in honestis, quo illæ morem mihi gerant, & effrenatæ meæ libidinis desideria compleant. Porro quotquot molles adolescentes, quos ad præposteram libidinem inducere potero, ut eos alliciam, me operam daturum sanctè promitto & voveo. O sacrilegum os adversus DEUM ejusque honorem & cultum, inflatum ! promittis te toto tempore vitæ tuæ servaturum castitatem, & ne uno quidem die ætatis tuæ eam servas ! Et cui promisisti ? DEO. Cur ergo DEUM in stupro, in præposterâ libidine, in turpitudine, in obscœnitate, in mollitie non attendis : Cur DEO promittis, & Diaboli voluntatem perficis ! Cur concubiscentias, tuas sequeris ? Cum ne has pro voluntate sequaris jubeat, dum ab illo, qui te rectum fecit, dicitur : Post concu- *Ecclesiastici*  
piscientias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere. *17. v. 30.*  
Nichilominus tamen ita Spiritu Bacchi præcipites raptitantur ad vitia & flagitia horrenda post has commensationes & computationes, ut eos à suâ cupiditate, non pudor nominis Christiani non habitus arctioris propositi, non ipsa secularium præsentia, quibus fiebant exemplar perditionis, qui reelecti sunt ad viam illorum reparationis, revocaverint. Porro Religionis nullus amor, pietatis nulla mentio, virtutis nulla ratio,



mensæ nulla benedictio, gratiarum actio nulla, sed horum omnium ingens ac profunda oblivio. Neq; eum gratias egissent ebrij, qui ad devorandum sobrij discumbentes mensæ benedictionem oblivioni tradiderunt. Ad hæc accedit stridor, rumor, clamor, lusus, & id genus plura, quæ egregia sunt scilicet ad tuendam continentiam media, quàm sancte voverunt. Sed jam ad exempla festino, unde discessum est. Verùm enim verò illud primum lector benevole admoneo, ut quoad ejus fieri potest, Monachos fugiat, nedum declinet: atq; eos ab ædibus, suis quisq; pius procul abigat. Quo enim remotiores à piorū ædibus, eò feliciores & mundiores sunt ædes illæ. Crede mihi benevole Lector, has dum illi ingrediuntur sinistra intentione inhabitantibus semper insidiantur. Aut enim famam illorum conspurcaturi, aut argentum à loculis excussuri, aut denique uxori crimen illaturi veniunt. Frustrà ergò neminem visitant. Quapropter pius Christianus circumspcctè provideat, ne unum ex his ab illis illatum experiatur. Illud porrò tibi maximoperè est observandum, hos, quò sanctiores, eò esse pejores: Quòque plus pietatis præ se ferunt, eò dissolutiores se actu exhibent. Quis enim apparentiâ Capucino sanctior? Nam qui eum ita verecundum, modestum, compositum videt: Is angelum in carne humanâ sibi videre videtur, nec secus censere potest. hic enim cum tibi facie humilis, incessu gravis, verbis comis, habitu vilis, capite cucullatus, fune cinctus, oculis verecundus, totus denique sanctissimus occurrerit, non alium, ipsum putabis, nisi sanctitate sanctiorem: Et tamen intus truculentissimus, unâ simul & scelestissimus est. Datâ enim occasione lupo rapaciorem, & hirco libidiniosorem præ se feret. Enim verò, ut lupo bonis tuis insidiabitur,



bitur, atque ut hircus fœminis. Nec enim virgini, nec  
maritatae, nec viduae in suo cubiculo aut in suo lecto  
habitis parceret. Quin imò ut casta virgo incestuosis,  
honestâ vidua formicarijs, fidelis maritata adulteris se  
committant & prostent, suadent clam, ut ipsimet rapi-  
ant. Quod autem tibi ut non minus propatulum fiat,  
quàm qui experientiâ id didicerunt huc exempla ac-  
cedant.

Igitur Castrovillari cum quidam Capucinus  
pro more Eleemosynam peteret à quâdam Nobili Vir-  
gine, quam frequenter adibat, & saccharum candi-  
dum ei offerebat, persuadens, esse panem cœlestem à  
DEO sibi per Angelum missum, quem dum unâ simul  
comedebant, manum inter comedendum semel ad ejus  
vestem extendit, eamque extollit, figensque manum  
ulterius, ejus corpus palpabat, ac dicebat: si hoc ego  
fruitus fuero, angelos quoque tu videbis. Mihi enim  
ob eximiam sanctimoniam vocati pro voluntate obe-  
diunt. Citiusque illi mihi advocanti aderunt, quàm tu  
modicum pulveris flatu dissipaverit. Illa verò regere-  
bat, audivi talem actum esse peccatum. Omnino pec-  
catum est, inquit ille, cum secularibus, at nobiscum  
nequaquam. Nobis enim adhærentes virgines sancti-  
ficantur. Insuper de suâ sollicita virginitate agebat,  
non libenter florem meâ virginitatis amitto. Operam  
dabo, inquit ille, sedulò, ne eò perveniat negotium, ut  
tuam pericliteris virginitatem. Tandem assensa est vir-  
go. Capucinus ergo dum feliciter auspicabatur, suam  
expleturus libidinem: mater virginis adest, quæ ex  
horto venerat, & Capucinum in fieri videbat. Tum  
hanc ob causam parum abfuit, quin in furorem rapare-  
tur illa; illicò enim frusto ligni accepto eum virilem  
in modum tutundit, ac fugientem secuta est. Interim



ecce clamor, ecce strepitus populi sciscitantis causam, cur illum insequeretur. Hæc significatâ & expositâ gravissimum evenerat scandalum per illum. Hunc verò captum in subterraneum carcerem detruserunt, qui ibi donec à pediculis vivus devovaretur, mansit, & animâ fortassis damnaretur. Sui hoc in illum egerunt. Sic & continentiam colunt & animas salvant, sua supersticiosissima & impijssima observantia.

Gravius est, quod ejusdem ordinis alter capucinus Treviri ad Mosellam iniquissimè ex confessionibus auditis perpetravit. Is cujusdam matronæ levis, sed divitis audiebat confessiones, quæ haud raro illum queribunda adibat, maritum inhumanitatis accusatura, & quid faciendum, consultura, quò tantam tyrannidem evaderet. Qui ad eam, omninò tibi consilium dabo, at cave, ne cuiquam dixeris. Nequaquam, inquit illa. Age. Domum ito, & quantum pecuniæ habere potes, eam capito, atque unâ simul in Hollandiam proficiscemur, ibique ad reformatæ religionis cœtum ego deficiam, teq; in meam uxorem ducam: Atque ita à tantâ Tyrannide tui mariti liberaberis. Hoc profectò, inquit illa, præsentissimum est consilium, hoc quàm libentissimè amplector, & quicquid deinceps jusseris opere comprobabo. Domum ergò illa, è vestigio festinat, sartorem vocat, habitum secularem illi parat; quem confectum offert. Ille verò hunc sub suâ Cappâ induit, atque ad suum superiorem Guardianum, ut vocant, accedit, literas obedientiales petijt ad celebrandam Missam in quadam Abbatiâ nomine Clusana. His acceptis lætabundus iter aggreditur, ad supra nominatam Abbatiam, ibique adulteram expectat. Quæ illum postero die secuta est, asportâs secum duo millia

Impe-



Imperialium: quos marito furata fuerat. In Hollan-  
dia autem cum uterque esset, Capucinus raptor ma-  
rito raptæ scripsit, ut dotem uxoris, mitteret: Quo-  
niam ipse jam esset legitimus possessor; Quid tibi vi-  
detur de hoc genere hominum, benevole lector? qui  
eo iniquitatis & impietatis progressi sunt, ut vel diabo-  
lum ipsum, ipsorum pædagogum & magistrum in infi-  
nitum, superent. Certè si astutiâ & dolo, malitiâ & ne-  
quitiâ diabolo non sunt doctiores, pares omnino sunt.  
Quod rectè jamdudum ante aliquot secula Johannes  
Antonius Campanus Episcopus Aretinus pronuncia-  
vit, dicens, Quisquis Monachus, idem & diabolus est,  
omnia tentat, ubique pungit, ubiq; insidiatur, deniq;  
meterc ubi nequit, ibi cacat. Et cum malus esse desi-  
nit, fit pessimus; Hæc ille. Ejusdem ordinis Capuci-  
norum alius insignis nebulo Guardianus, ut ajunt, in  
concurso civium ad monasterium haud absimile sce-  
lus commisit. Cum enim in germaniâ bellum tam  
immaniter ferveret, & vel maximè circa Mœnum:  
Walthiri ad monasteria tanquam ad asylum populi  
confluebant, quò turbines immanes, qui omnia in-  
volvebant, declinarent. Vulgus inconstans monaste-  
rium ingrediens templum implebat: Nobiles verò &  
cives præcipui, occupabant cellas unâ cum Monachis.  
Monachorum inde maximum erat solatium. Nam eo  
concurso non modò lætificabantur fœminarum aspe-  
ctu, jactantes in illas lumina vultus: Sed quod longè  
gratius erat, illis quoque ad explendam suam libidi-  
nem abutebantur. Si qua autem ex illis illegitimum  
concubitum denegabat: eam, ut præda militum fie-  
ret, de monasterio ejiciebant. Inter illos Guardianus  
in oculis omnium turpissimè adulterabat, neque ullus  
aude-

*lib. 4.  
Eplâ 12.*





audebat illum tanti flagitij arguere. Quia nimirum superior erat. Atqui spiræ in monasterio Dominicanorum non item suo superiori adulteranti Monachi pepercerunt: Sed eum necarunt. Quod tamen non Zeli pietatis: sed odio iniquitatis fecerunt. Malignitate enim, & invidiâ moti sunt, non Christianâ charitate: quâ peccata corriguntur & teguntur, juxta illud Apostolicum: Charitas operit multitudinem peccatorum: & alibi: Charitas non agit perperam. Sed ad propositum. Is noctu per hortum ad quandam matronam expleturus suam libidinem exire solebat: quippe qui superior erat claves non modò horti: sed etiam omnium aliarum januarum & adituum, qui in monasterio sunt, habebat. Pro lubentiâ ergo horti januam aperiebat, claudebat, monasterio egrediebatur, expletâ suâ libidine mox reversurus. Id quidam ex Laicis curæ habentes observarunt, atque ad vicarium monasterij retulerunt. Is jussit, ut ipsi clam deinceps illius exitû significarent. Quod cum sedulò postea illi observâssent, prout hic jusserat, Prior monasterij vel Abbas pro more egressus est per hortum monasterij ad amasiam, Exploratores statim de ejus exitu vicarium admonuerunt, qui non intermissâ morâ ad januam horti cum tribus alijs se contulit, eamque repagulis obstruxit abintus; inde ad celam illius festinans pensilem ferram illi applicuit & clausit. Ille circa auroram expletâ suâ libidine cum adulterâ, monasterium ingressurus redijt, atque ad januam horti clavem apperiturus applicat: at quo magis laborabat, ut recluderetur janua, eò magis munitam experiebatur. Itaque nec medium nec remedium erat: quo seipsum à tanto labyrintho extricaret Muros horti ascensus tentat, ascendit, atque  
mona-



monasterium de horto ingreditur, suam cellam ingre-  
furus venit, quam itidem munitam expertus est. Inte-  
rim Laicum quendam campanas pulsaturum ad ma-  
tutinum videt, à quo dum quærebat, quisnam suam,  
cellam munisset, exit vicarius, qui sciscitantem audie-  
rat & quasi factum ignoraret, quærit, quisnam est, qui  
hâc horâ matutinâ monachos in chorum euntes Deum  
laudaturos, turbat; Respondet iste, Ego sum, Prior  
Es ne tu Prior? quærit Vicarius. Sum. Regerit vicarius,  
vix credo. Nam nostrum Priorem esse in suâ cellâ nul-  
lus dubito. Non replicat iste, Ego sum. Tum ille, unde  
venis hâc horâ? Ubinam fuisti? Respondet, fui in ci-  
vitate ad quædam monasterij negotia agitanda. Noctu  
ne agitantur monasterij negotia regerit Vicarius. Ma-  
ximè respondet Prior. Benè regerit iste, mox mona-  
sterij negotia patebunt. Illicò cœnobitas convocat,  
capiatur jubet captum; catenis & compedibus onerat,  
onustum in carcerem detrussit. ad confitenda flagitia  
cogitur. Et compulsus cruciatibus aperit, unde ma-  
lum maximum monasterio atque ejus inhabitantibus  
imminebat, ab illo, cum ejus uxore concubuerat.  
Nam & hic quoquo modo adulterium odoratus fue-  
rat, quod planè capto reo ipsi jam manifestum erat. E-  
rat autem is potens ratione dignitatis. Unde Domi-  
nicani timentes, ne publicè in foro decollaretur adul-  
ter, & de monasterio omnes ad unum expellerentur:  
illum ipsi in carcere necarunt.

Plura dicere sanè nunc piget. Quis enim omnia,  
quæ nostri temporis monachi committunt publicè &  
privatim, ad amissim enarrare poterit? Quis de levi-  
bus mulieribus maritatis quibus monasteriorum adi-  
tus, noctu patent prout ipsæ volint, retulerit? Quis non

E

non



non silentij tenebris, ea quæ cum virginibus, maritatis  
& viduis, egerunt quas aliquando propter denegatum  
ipsis concubitus occiderunt, tegetet? Omitto quo-  
modo cum Cappis & cucullis suis juvenulas tradu-  
cant, & cum illis regiones & provincias vagantes, per-  
lustrent. Modum, quo persuadent fœminis leviora  
esse peccata cum illis coire, quàm cum Laicis, omninò  
prætereo. Quis sacrilegia, quæ in administrandis Sa-  
cramentis, in audiendis confessionibus committunt  
narratione complecteretur? Quis injurias quotidiana-  
nas, irrisiones & abominationes, quæ vel maximè in  
sacramento pœnitentiæ fiunt, ad amissim referre pos-  
set? DEUS, inquit Apostolus, non irridetur, isti nihi-  
lominus tamen irridere non cessant. Nam totâ nocte  
ad ægritudinem usque coeunt, manè verò factâ con-  
fessione (quam confusionem dixeris) mox missam ce-  
lebraturi se componunt, & hæc celebratâ iterum ad  
concubinam tanquam pulli omissarij revertuntur!  
Quisnam, quæso hanc pœnitentiam vocabit? hanc esse  
abominationem, irrisionem, manifestissimam rebel-  
lionem DEO & suis præceptis quis compos sui nega-  
bit? Hem qui in doctrinam populis, qui in exemplum  
seculis positi sunt, qui norunt legem & mandata; qui  
denique consiliorum evangelicorum sunt observato-  
res, nedum CHRISTI imitatores: illi hæc perpetrant,  
& tamen continentis & sanctiores præ alijs haberi vo-  
lunt! Non enim vocavit nos DEUS in immunditiam,  
sed in sanctificationem, inquit Apostolus. Vos verò  
recentes monachi, ad quos sermo hic immediatè diri-  
gitur, & sanctificationem & sanctum pessundastis, con-  
culcastis, pro hæc cadaverosam faciem osculati estis  
atque plus quam DEUM illam adamastis! Nequaquam  
hæc

*Thes. 4, 7.*



hæc sunt exempla bonæ vitæ, bonorum morum, quibus lux vestra coram hominibus luceat, & videant opera vestra bona: quæ quidem sæpè apparent revera sunt nunquam: Nomen DEI per vos blasphematur, *Matth. 6, 16* non glorificatur. Vestra enim vita infami, vestris pessimis moribus jam scandalum facti estis pijs & impijs, sapientibus & insipientibus, omni genti omni populo, omni nationi. Ita ut, quando monachus nominatur, se signo crucis muniant, nedum vos fugiant. Quia sub illâ cappâ, sub illo cucullo diabolum latere in ruinam Ecclesiæ CHRISTI arbitrantur quidem. Hanc profectò plus vos vocibus morum destruitis, quam vocibus verborum ædificatis. Quid? plus unâ vestrâ fornicatione, unâ vestrâ ebrietate, unâ vestrâ scurrilitate Ecclesiæ evertendæ obestis: quam omnibus genuflexionibus coram populo in templis, omnibus orationibus & jejunijs, (quæ in animo vestro rara sunt) omnibus cohortationibus in suggestu in salvandam prodestis.

Hactenus quam brevissimè de hodiernorum monachorum continentia non observata dictum est: Nunc de Monialium castitate obiter dicendum restat, ne sicco pede, ut ajunt, eas omittamus. Materia de his ad ad dicendum satis ampla est, at verò Christiana verecundia eam explicare prohibet. Quis enim quæ illæ privatim & publicè committunt brevi sermone complectetur sine verecundia? Quæ omninò differenti de fœminis necessaria est. Neque enim (prout ego sensio) facilè quis de dolis & astutijs de procacitate & pravitate, de mollitie & stupris sine pudore sermonem trahere prolixè ausus fuerit. Hæc omninò hoc tempore detestanda in monialium monasterijs inveniuntur.



Prostibula enim Veneris verè hodie monialium monasteria execranda sunt. Olim virgines DEO dicatæ, inhabitabant monasteria: hodie verò procaces & incestuosæ ad perditionem Diabolo oblatae manent in illis. Sanctuaria olim erant sacrarum virginum monasteria, hodie lupanaria meretricum omni dolo præditarum facta sunt monasteria. Nec enim alias inuenies hodie in monasterijs, quàm puellas lascivas, impudicas, ad explendam juvenum libidinem profusissimas. Parum abest, quin idem sit hodie velare puellam in monasterio ac eam publicè exponere ad scortandum. Nam quanquam in monasterijs hæ abditæ sunt: tamen omne genus flagitiorum, vitiorum, libidinum, atque excessuum æquè ac monachi perpetrant. Modus peccandi differt. Peccata verò ferè eadem sunt. Monachi enim, quando scortandi occasio illis deest, in se ipsis, ut dictum est, turpiter se polluunt: Istæ verò instrumentis quibusdam vitreis intus concavis singulari arte fabricatis politè ad polluendum se utuntur; Has aquis tepidis implent, atque ad explendam suam libidinem adhibent. Hujusmodi instrumenta clàm venalia extant apud vitrarios, quæ tantæ vitiositatis sunt, ut virgines in meretrices commutent; Et hoc privatim. Quæ autem publicè eveniunt retexere quis sine tædio & fastidio poterit? Quare brevitatis gratiâ allato uno Exemplo cætera omitto. Id Veronæ cum ego viverem in monasterio S. Bartholomæi evenit maximo cum scandalo totius civitatis, atq; adeò totius Provinciæ, ubi pro more pulsatis campanis ad dicendum matutinum una ex monialibus lumen ad cellas, quò se induant surgentes ad matutinum detulisset: invenit in unius lecto unum juvenem ex civibus  
suavi-



suaviter concumbentem, quo viso ita consternata erat, quæ lumen deferebat, ut vix loqui aut clamare posset. Interim se recolligens ad Abbatissam cucurrit, eique factum nunciavit: hæc dum vestes suas induebat aliasque, ut ad violatæ monialis cellam Unâ secum venirent, convocabat: incestuosus & sacrilegus relictis vestibus, indufio tantum amictus aufugit statim. Scalam enim iste sericcam sibi confecerat, qua ad ascendendum & descendendum monasterij muros pro lubentiâ utebatur. Liber ergo è monasterio evasit: & civitate itidem, relictis bonis, quæ fiscus cepit, profugit. DEUS bone, si hæc eveniunt Veronæ, ubi Episcopus Marcus, Justinianus vigilantissimus est in fungendo suo munere: alibi pejora benevole lector, evenisse nequaquam dubites. Nam ubi major libertas, imò verò licentia datur ad colloquendum: ibi majora & pejora scandala committuntur. De his alias si per ætatem licuerit. Nunc verò ad Obedientiam cœcam, ut ajunt, festinandum est.

## TRACTATUS TERTIUS.

### *De Obedientia non exhibita vel cœca.*

Obedientia cœca, seu perfecta, ut ajunt; est tyrannis quædam, qua superior, prout vult, deprimat subditum sibi commissum. Definitio hæc est vera & adæquata hodiernæ monasticæ obedientiæ. Dicitur autem cœca ac perfecta, quia de eo, quod imperatum est, non judicat, sed executioni promptè & sine morâ mandat. Subditus enim si causam à jubente curiosè aut disertè inquirat: non est perfectus religiosus. Vel præcipitium propositum subito à superiore, tenetur illud amore



amplecti & exsequi: si autem minus, punitur. Hoc autem genus obedientiæ cœcæ inter hodiernos monachos non invenitur: nec observatur. Neuter enim suum munus probè exsequitur. Non superior, quia improbus, tyrannus & improvidus in jubendo est: nedum importunus & molestus. Non subditus, quia, quæ ei mandantur, ut plurimum ejus vires superant: Cum sint maximè importuna. Unde fit, ut ex obedientiâ, quam ipsi inter virtutes numerant: emergant multa vitia. Hinc enim perlecutiones superiorum in subditos, hinc rebelliones, subditorum contra superiores, hinc odia & rancores, hinc seditiones & factiones, hinc denique innumerabilia fere mala. Quid? hinc homicidia, ut mox patebit. Quare nomen tantum hujus cœcæ obedientiæ inter ipsos extat: usus verò nihil. Dicitur autem Tyrannis ratione jubentis, qui in jubendo omninò improbus est. Is enim neque justitiam, neque Christianam charitatem in jubendo intuetur, sed tantum truculentus nebulo suam effrânatam libidinem executioni mandare cupit. Sua ergò auctoritate abutitur tum ad diminutionem sui ordinis, tam ad destructionem Ecclesiæ. Ordo quidem diminuitur, ea tyrannide qua multi depressi ab ordine aufugiunt, fiuntq; Apostata. Et quidam quidem ex illis fiunt Banniti ad grassandum peregrinos in vijs: quidam autem milites, ut militiæ prætextu furiant & injustè rapiant. Ecclesia verò destruitur qua pessimo Exemplo: qua superiorum imprudentia & malevolentia: Qui suo solius arbitrio omnia regi ac disponi vult.

Paulum egregium Apostolum impij atque perfidi Judæi & que insectabantur, atq; JESUM CHRISTUM Dominum Salvatorem nostrum: A synagogâ rejiciebant,



bant, flagellabant, lapidabant: Generosus tamen & magnanimus Apostolus semper illos nimio amore prosequabatur. Et quanquam Christum præ omnibus unicè in terris adamabat, ac propter illum omnia stercoribus æquabat: nihilominus tamen ut illi salventur, cupit ad tempus à Christo separari, pœnas inferni pati, quò illi divinâ in Cœlo fruantur essentiâ. optabam, inquit, enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. *Rom. 9, 3.* Moses magnus princeps & generosus dux Deum cum maximè, iratum populo idolatrico mox consumendo vidisset: ad DEum conversus, illum ad deliberandum urgebat. Aut, inquit, dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quo scripsisti. Omitto nobilem illum Davidis animum erga Saulem & Absalonem ingratum filium, de quo lachrymabundus dicebat, quis mihi det, ut moriar pro te. *Exodi 32, v. 32.* Isti verò consilia observaturi Decalogum pessundant. Atque ita neque præcepta neq; consilia servant. Nam decalogus dilectionem proximi præcipit maximè, in quo vel maximè DEus omnipotens & clemens mandata pro proximo septem dedit; pro se verò ad sui honorem tria. Isti & tria priora superstitionibus atq; abominationibus coinquinant: Et septem posteriora quæ pro dilectione & instructione proximi mandata sunt, suâ tyrannide atque cœcâ obedientiâ pessundant, conculcant. Dum enim dominantur, inimicis non parcunt: amicos persequuntur maximè. Idq; dum agunt, superiores sunt: virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis jubere possunt. Ac verò auctoritate non secus abutuntur ad subditos Quàm furiosus districto gladia ad præcurrentes: Imò verò quam Dæmoniacus se-



*1. Cor. 10, 8.  
Scap. 13, 10.  
it. 1. Cor. 9,  
19.*

seipsum & alios in præceps dejiciens. Item Aposto-  
lus Paulus potestate quàm Dominus ipsi dederat in æ-  
dificationem & non in destructionem credentium (ut  
ipse loquitur) non durius: utebatur: imò verò omniū  
servum se faciebat, ut plures lucrifaceret. Isti verò  
non contenti sunt omnibus præferri, omnibus domi-  
nari, liberè & licentiosè præ omnibus ad vitia & hor-  
renda flagitia currere, bona monasteriorum usurpare  
(quæ omnibus in communi debentur) atq; ea in mol-  
les & scorta consumere: sed suâ tyrannide volunt in-  
super animas tanto pretio sanguinis CHRISTI JESU re-  
demtas perdere & orco mactare: nedum ad desperā-  
dum inducere, & urgere. Hæc tamen virtus est obe-  
dientiæ? perdat illos Deus omnium iniquitatum sta-  
bula atque omnium scelerum officina. Hæc cæca  
obedientia recentium monachorum, ex quo inventa  
est majorem ruinam intulit prætextu pietatis Ecclesiæ:  
quàm Cyrus & Darius Babyloni, quàm Græci Trojæ,  
quam Annibal Sagunto, quàm Scipio Carthagini, quàm  
Gotti Romæ, quàm deniq; Titus Vespasianus Hyeroso-  
lymis. Nam ruina illa urbibus illis illata res consume-  
bantur, hominibus vita aserebatur: at isti virtute  
cæcæ obedientiæ famam piorum illorum scelera & fla-  
gitia arguentium constringunt, animas ut plurimum  
gratis necant. Porrò ruina illa erat justa, DEUS enim  
suffecerat hos universo orbi principes: quos teste divi-  
nâ scripturâ suos hostes punituros quò volebat, mitte-  
bat, imò verò præibat & ducebat: Atqui isti virtute cæ-  
cæ obedientiæ nulla allata causa, prævio nullo prætex-  
tu pios & innocentes in perditionem, nedum in dispe-  
rationem agunt.

Ne autem videar hæc effingere ad majorem  
confir-



confirmationem atque ad veritatis declarationem adducenda sunt Exempla. Et quidem primum quod in me actum est, adducatur. Pragæ igitur cum ego Præsidentem agerem, ac pie fideliterq; pro illo statu munere meo in monasterio S. Jacobi fungerer, die decima quintâ Maij frater Ferdinandus Welguber ordinis minorum Conventualium minister provincialis, id est regularis observantiæ, ex improviseo literas obedientiales, ut vocant, mihi dedit, jussitq; statim ut ad meritum salutaris obedientiæ, ut ajunt, Pragâ in Italiam proficiscerer. Quo autem suam inhumanitatem atq; imprudentiam auctoritatisq; tyrannidem manifestius declararet, unam horam, duntaxat, temporis concedebat diutius si mansissem carcerem minabatur. Ego verò tam subitaneo mandato consternatus, quid agendum, quò me verterem, nesciebam. Tandem deliberatum est, ut hunc stimulorum tritorem, scelus ipsum, nedum sceleratum, causam tantæ inhumanitatis quæsiturus adirem. Quod cum fecissem meq; ipsi stitissem, suppliciter orans, & humiliter quærens: Truculentus respondit, non est quod ores aut quæras: aut hâc ipsâ horâ tibi Pragâ discendendum erit, aut in carcerem detruendus eris. Quod cum audivissem, sanè plus fatis consternatus, recolligens me tamen inpavidus & magnanimus nebuloni respondi, mihi similes carcerem non visitant, nec ingrediuntur, Et vel maximè sine causâ. Quid enim feci? quid in te aut in alios peccavi, quod nec tempus inveniendæ occasionis aut commoditatis ad discedendum concedas? Aliud nihil scio, ajebat truculenta bestia, quàm quod tibi hâc ipsâ horâ discedendum erit. Porro Christianam charitatem ei urgendo præponebam: DEI amorem & timorem in

F  
ejus



ejus mentem revocabam, hos parvi pendens regere-  
bat, nec DEI timor nec amor supra obedientiam, quam  
vovendo promisisti. Deniq; ad ipsum alios, qui pro  
me intercederent, misi, ut saltem discessum in poste-  
rum diem differret, spatiumque inveniendæ occasione  
ad proficiscendum in Italiam daret: Quibus respondit,  
velit, nolit, ipsi hodie hâc ipsâ horâ discedendum est.  
Ingentibus precibus eum ultrâ orabant, quò rationem  
aliquam dignitatis haberet: cum Doctor sit Theolo-  
gus, parvi refert, inquit. O imprudentiam deprædi-  
candam! o portentum in ultimas terras asportandum!  
Ingressus est iste scelestissimorum omnium scelestissi-  
mus ordinem Franciscanum, quò consilia Evangelica  
observaret: & divina præcepta conculcaret! At hæc  
etiam implevit, ô præclarum scelus! Nam tria prioris  
tabulæ impleverat adamando creaturam magis quàm  
DEUM, atq; huic scortum præferendo: septem verò  
posterioris tabulæ itidem plus nimio impleverat sua  
viscera proximo suo claudendo! Quid ergò prætereâ  
requirebatur, quàm ut præceptorum & consiliorum  
observantiam factis declararet? quod ad amissim per-  
fecit! O præposteram pietatem! Sacerdote & Levitâ  
pejor extitisti scelus Welguber stimulorum tritor,  
crux; Illi enim transierunt, vulnerato à latronibus  
non nocuerunt: Tu verò & oblitus es facere miseri-  
cordiam, & nocendo persecutus es. Samaritanus præ-  
te justificatur, horrendum monstrum!

Hæc autem haud frustrâ fiebant. Urgebant enim me  
ad excutiendum cœcæ obedientiæ jugum, atque ad  
executioni mandandum, quod jam dudum sæpe præ-  
meditatus fueram, atque in animo constitueram. A-  
gnitâ enim veritate Evangelica, pro qua tuenda cum  
me sæ-



me sæpe illis opposuissem: discupiebam nomen inter  
augustanæ confessionis socios dare: sed viam ad ipsos  
ignorabam. Cui enim vitam meam commissem aut  
credissem: cum Pragæ vix alij inveniatur, quàm in-  
fensissimi hostes huic Evangelico cœtui? At verò cum  
virtute cœcæ obedientiæ ad proficiscendum in Italiam  
coactus fuisset: tum maximè DEUS, qui novit suos  
in tribulatione regere, ducere, & liberare, inspiravit, ut  
per Pōstam Dresdam venirem. Et quanquam in viâ à  
Cæsareanis militibus detentus fuerim ac bonis spo-  
liatus (pecuniam non invenerunt, licet mihi ad indu-  
sium usq; vestem detraxerint) liber tamen & sanus di-  
vinâ virtute evasi. Wittebergam Dresdâ veni, ubi erro-  
res recognovi, detestatus sum, revocavi. Nemo hacte-  
nus revocatoria, nemo orationi de potestate Romani  
Pontificis, nemo denique orationi de certitudine gra-  
tiæ, quas solenniter in Auditorio majori Witteber-  
gensi habui, respondit. Nimirum sedulò operam na-  
vant recentes Monachi, ut suæ cœcæ obedientiæ ty-  
rannidem commendent eamque exsequantur: & fo-  
veât seipso inter foetida & lurida cadavero saq; scorto-  
rum ubera. His autem, quæ ego expertus sum, gravio-  
ra passus est ibidem Sladilaus Polonus. Is enim mor-  
te repentinâ obiit. Nam cum Commissarius Generalis,  
qui tùm erat Santius cuidam Italo Antonio nomine  
litteras obedientiales dedisset, eumque in Italiam pro-  
ficisci coegisset: Is suum discessum Polono imputavit.  
Polono nimirum magna intercedebat cum Santio fa-  
miliaritas: qui poloni cohortatione incitatus Italo di-  
scessum præcepisse putabatur. Quare hâc suspitione  
ille motus, rixas cum Polono nexit: ab his ad contu-  
meliosa verba, atque à verbis ad verbera ventum est.



Quæ haud fustibus aut baculis, sed cultris noctu fiebant. Dum ergò se invicem aggressi essent, Italus Polono cultum in pectus infixit: qui illicò diem suum obiit. Quem postero die Pragæ in monasterio S. Jacobi sepeherunt: Italus verò habitu seculari indutus, ne cognosceretur, in Italiam deniq; profectus est.

Dignum planè est, quod memoriæ prodatur: quod Provinciali Mediolanensi accidit. Is enim cum pro more suam provinciam visitaturus exivisset: primum à Mediolanensi monasterio visitare incepit. Quippe cum id inter alia illius Provinciæ monasteria sit primum & præcipuum: primum propterea in visitatione obtinet locum. Guardianus, id est, superior monasterij pridie quam provincialis visitationem auspicaretur: ad illum accessit felicem noctem precaturus: quam cum precatus fuisset multa que de suo munere prolixè provinciali visitaturo retulisset: inter alia, quæ ad ejus aures infusurravit, de duobus monachis nimis impudentibus conquestus est quoque, quos multorum flagitiorum quæ in urbe commiserunt, apud illum accusavit. Accusationi porrò subjunxit, ut, si fieri posset, ex monasterio, eos amoveret sin autem minus seditiones in monasterio & scandala in urbe haud defutura. His autè auditis, ac diligenter observatis provincialis promissit se operam daturum sedulo, quò utrique cum pudore expellantur. Igitur postridie, cum omnes Monachi una simul ad mensam in refectorio discumberent, ac suis Epulis vescerentur: pro more claves cellarum ab illis postulabat visitaturus, quas omnes & singuli ad unum dedere. Habitis his à prandio statim ad visitandum perrexit. Cùm autem perveniret ad cellas illorum duorum accusatorum Monachorum inveniebat eas tapetiis magnificè stratas,



tas, ac lectos itidem conopeis sericeis adornatos : quæ  
contra votum paupertatis omninò sunt, quam sanctè  
promiserunt. Quapropter ad iratus jussit ea deponi,  
atque in ararium publicum monasterij redigi. Di-  
scumbentibus autem alijs ad cœnam, hos publicè pu-  
defecit, jubendo ut tam diu genu flecterent ; quam diu  
illi comedebant. Manè factò literas obedientiales  
eis dedit : atq; ad meritum salutaris cæcæ obedientiæ  
à suâ provinciâ procul relegavit. Isti verò illic è mo-  
nasterio pro jubentis voluntate egressi suos consan-  
guineos & amicos adiverunt : in quorum ædibus tam-  
diu latuerunt, donac finitâ visitatione Mediolanensis  
monasterij Mediolano ille ad aliud monasterium visi-  
taturus proficisceretur. Tum demum adjungentes  
sibi ex secularibus duos improbos, tegentesque sin-  
guli suam faciem personis in viâ illi occurrerunt, ac  
tam ipsum, quàm ejus secretarium ad insaniam pulsa-  
runt : atq; ita relictis illis semivivis, & arreptis pretio-  
sis, quæ ille secum habebat, discesserunt. Tum ego  
Bononiæ morabar, eramque Bacalaureus Collegij Bo-  
noniensis : cum hæc Provinciali Mediolanensi facta  
referrentur. Lector Benevolus his dum incumbit le-  
gendis, non miretur. Hæc enim humilium Monacho-  
rum non sunt facta : sed superborum in carne damo-  
num sunt acta. Quorum rixæ semper ferè sunt cum  
sanguine : juxta illud Ecclesiastici : Effusio sanguinis in  
rixâ superborum. Eccl. 27, 26. Verùm enim verò hæc  
ad illam stragem : quam in ordine Catusianorum cæca  
obedientia Romæ edidit collata, sunt nihil. Uno e-  
nim anno 80. monachos in uno monasterio hæc orco  
dimisit. Nam isti ad meritum salutaris obedientiæ  
Anguli in suis clauduntur cellis : nec unquam conve-



niunt ad colloquium unà simul, nisi semel in hebdomada, quod fit die Jovis, ubi & unà simul, opiparè vescuntur, & colloquuntur: Cæteroquin unicuiq; seorsum splendidæ epulæ deferuntur: Quibus solus Monachus clausus vescitur. Delicatis atq; varijs cibis tam splendidè se saginant: ut præ alijs monachis aliorum ordinum Ecclesiæ porci nominentur & sint. Divitijs & omnium rerum affluunt copijs. Nullum enim horum est monasterium, quin ad minimum unam tonnam auri in anno habeat redditum. Proinde hi in suo ordine quicquid concupierint, id totum habent, Concupiscant aurum, ut eo videndo fruantur, illud habent, vestes, deniq; quicquid desiderant à superiore suo exceptis fœminis, earumq; conversationib9, is illis dat. Ita superior cum illis agit, ut mater cum puero Bimo, cui illa dat, quod petit, ne fleat. Et id totum fit, quò ipsi obediant, & clausi prout ipse jussit secundum Regulam ordinis in suis cellis maneant: At enim horum nihil juvat. Nam extremæ solitudinis tædio affecti se suis funibus, quib9 cinguntur, ut Absolon suis capillis, injiciunt, ac suspendentes se necant. Unde istorum procurator cui tantum est potestas egrediendi & ingrediendi monasterium prout vult semel referens numerum suspensorum Cardinali Roberto Ubaldino, agebat gratias maximas Deo, quod illo anno, qui erat supra millesimum sexcentessimus vigesimus octavus, 80. tantum desperantes se suspendio necaverint.

Urbanus VIII. tantæ animarum & corporum cladi provisurus hujus cœcæ obedientiæ præceptum, quod ipsorum Regula urget, mitigavit. Is enim sancivit ut ter in hebdomada ad colloquia conveniant, nempe die solis, Martis, & Jovis: sed tamen diabolus vigilat, quo  
ejus



ejus suggestionibus similes necesse inter illos adhuc fi-  
ant. Præsentissimum autem remedium, quo tantis a-  
nimarum cladibus succurratur & provideatur: est, ut  
monasteria evacuentur, Christiana libertas à DEO do-  
nata concedatur: quâ omnibus Christianis dicitur,  
pretio emti estis, nolite fieri servi hominum, & alibi:  
state & nolite iterum jugo servitutis contineri. Hæc  
autem cæca obedientia cum hominum, tum vel maxi-  
mè Dæmonum æternæ captivitati Christianos manci-  
pat & mactat. Quare abjicienda ejusq; jugum excutien-  
dum, ne amplius CHRISTI Ecclesiam grassetur. Gras-  
satur planè, dum spem salutis ibi aufert: ubi salus  
quæritur. Nam inordinatum ordinem ideò multi in-  
grediuntur, ut salventur: at in ordine ex pijs qui erant,  
evadunt impij. Nam cæca obedientiâ exasperati & de-  
sperati amplectuntur extrema, quæ semper sunt vitio-  
sa. Quidam enim desperantes se suffocant, ut visum  
est, alij grassantur in vijs transeuntes & peregrinos,  
alij ab ipsis deficiunt, alij fidem Christianam negant &  
sic deinceps alij alia pro ut ipsis placet amplectuntur.  
Id profectò factum fuisse tam in propatulo est, ut exil-  
lis nemo ausus fuerit inficias ire, nisi forte impos sui.  
Nam Constantinopoli cum M. Paulus Neapolitanus  
illius Constantinopolitanæ Provinciæ esset Provincia-  
lis, tantâ tyrannide, atq; violentiâ infectatus fuit quen-  
dam Monachum Italum, nomine Franciscum, ut coã-  
ctus ille quâ ordini, qua Christianæ fidei nuncium mi-  
serit, uxorem duxerit, ac liberaliter mahometanam  
sectam propagaverit. Duodecim enim Filios ex sua  
Uxore suscepit. In eâ autem falsâ opinione illius sce-  
lestissimæ atq; impijssimæ sectæ, quam ex desperatione  
& cæcæ obedientiæ tyrannide amplexus fuerat usque,  
ad



ad ultimum halitum perseveravit. Itaque diem suum  
fidelis Turca impius, infidelis Christianus obiit. Qui  
utinam nunquam natus fuisset, ordinem talem nun-  
quam ingressus, monasticam cœcam obedientiam  
nunquam professus. Sic enim melius ipsi fuisset, ut  
verbis salvatoris ad Judam proditorem factis utar,  
quam nasci, veritatem & viam justitiæ agnoscere, & a-  
gnitam deserere. Tales carnifices hodie præsent in  
monasterijs, qui nullo negotio animas necant, ut suas  
libidines impleant. Omnes, quotquot sunt hi, mona-  
chorum superiores, non alios esse dixeris, quàm trucu-  
lentos carnifices, quam Diaboli lictores, qui animas  
partim suâ malâ vitâ, pessimisq; moribus, partim suâ  
Tyrannide orcum demittunt. Quæ ut plurimum ex  
ignorantiâ legum & ambitione originem ducit. Neq;  
enim sapiens, prudens, & doctus vir, qui suam volunta-  
tem in lege Domini habet animarum necator, Christia-  
norum persecutor, esse potest. Quales sunt istæ tarta-  
reæ abyssi locustæ, & hostes christianæ Religionis, nedû  
occulti inimici. Pari aviditate prorsus & sollicitudi-  
ne intus & foràs, clàm & palàm, ac diabolus ipse huma-  
ni generis hostis antiquus, fidelium animas speciosè  
seducunt, violenterq; necant. Christus Deus noster, cû  
inter Apostolos unum proditorem vidisset, eum non  
odio insectabatur, non maligno animo detestabatur:  
sed quò à tanto scelere revocaretur, illum variis bene-  
ficiis attrahebat, blanditiisq; alliciebat. Nunc enim pe-  
des ei lavabat, nunc suum corpus in cibum dabat, nunc  
ejus scelus, ne infamiâ notaretur, tegebat, imò verò ne  
occideretur, ejus proditorem, quoad ejus fieri po-  
tuit semper, tegebat. Isti verò omnis humanitatis im-  
memores, suâ tyrannide solliciti, sine causâ fremunt,  
fu-



furunt, indignantur debacchantur in membra CHRIS-  
TI ut suam libidinem expleant, & illa in barathrum  
scelerum & tandem inferotum præcipitanter secum  
trahant. Quisquis ergò sceleratus esse cupit & damna-  
tus, recentium Monachorum se potestati subjiciat. A  
quâ, ut suâ potentiâ, benignissimus DEUS me libera-  
vit: ita sua misericordia me conservet & salvet, ne de-  
inceps in illius laqueum, quem potenter semel con-  
trivit, miserè iterum subigat. Non nobis, Domine, non  
nobis: sed nomini tuo da gloriam. Tu enim omnia cle-  
menter fecisti, Tu laqueum venantium solus contrivi-  
sti: Tu solus, quem tuo pretiosò sanguine, redemisti &  
salvâsti, eum potenter & misericorditer liberâsti. Tibi,  
Domine, Soli gloria, mihi verò ignominia.

## TRACTATUS QUARTUS.

### *De Paupertate monasticâ non observata.*

De voto præposteræ continentiæ & cœcæ obedi-  
entiæ hodiernorum Monachorum raptim & breviter ha-  
ctenus egimus: Nunc verò eâdem brevitate, Deo adju-  
vante, de falsâ illorum paupertate tractabimus. Est au-  
tem Paupertas recentium Monachorum, bonorum nō  
suorum incommuni & proprio possessio. Nam in com-  
muni possident civitates, oppida, rura, prædia, domus,  
agros, campos, vineas, hortos, pomaria, & id genus.  
Horum bonorum partem locant, atque inde pecuniâ  
exigunt: partem alteram ad suum usum retinent.  
Retinent autem campos & prædia ad educanda ani-  
malia in cibum & commodum Monachorum, in cibū  
boves, vacas, vitulos, & id genus educant: quibus ad  
obsonium utuntur. In commodum equos, mulos, asi-

G

nos



*Libro de ligubri statu  
& ruinâ ordinis monastici.*

nos, quibus ad equitandum, aurigandum vehendumq; utuntur. Pomaria, hortos & vineas habent, unde satis fructuum decerpunt, & uvas in vinum colligunt. Habent ergò sufficientissima in communi media, quibus se divites esse ostentent & glorientur, non pauperes se esse lamententur. O exoptabilem paupertatem! Quid, quæso, Reges & Principes prætereà habent? Magnificentiam, comitatum, pompam, & splendorem, qui in illis est imago representans & mortalium oculis obiciens cœlestis aulæ gloriam. At & hæc habent. Nam in curru superiores eorum & officiales monasteriorum, & propemodum omnes vehuntur, in equo sedent, & cum comitatu pompaticò incedunt. Quod & alij viri pii satis illis exprobrârunt, nedum deplorârunt: sed tamen nec dum ab ista splendidâ paupertate ad Christianam paupertatem revocati sunt. Ita enim Johannes Tritemius Abbas Spanheymensis contra talem paupertatem splendidam pronuntiavit. Quid, inquit, non Abbates præsumunt ambitiosi? Quid voluptatis transeunt intentatum? Cœnanti famulorum curvantur genua, transeunti Ecclesiarum sternuntur tapetia, progredientem in publicum servorum ingens sequitur copia. Invenies, (non mentior) Abbatem inter eos etiam, qui reformationis nomine gloriantur, cujus tanta sit ambitio, ut Episcopo non velit dici inferior, qui ad mensam cum tanto apparatu residet, ut cuilibet principi copia vasorum cibi potusve varietas ac ministrantium multitudo possit sufficere. Deniq; si præcedenti per civitatem te huic dederis ob viam, tanta famulorum multitudinem vallatum cernes, ut non Abbatem, sed Archiepiscopum transire putares. En cum principibus pari passu ambulant, & tamen paupertatē profi-



profitentur. Hoc autem amplius habent, quod principes nequaquam habent. nempe quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus. In templo DEI invicem sese mordent: quod nec viperæ in semetipsas faciunt. Hamatas tamen preculas, & viscata murmura cauponantur. Virtutes & beneficia non sua venditant. Scelera comedunt, & crimina mortalium bibunt. Testamenta aliena faciunt, & intercipiunt. Tantâ vero aviditate defunctorum bonis inhiant, ut, pro eorum cadaveribus cum popularibus sacerdotibus quotidie convitiis rixentur, quò lucrentur, quia nimirum plus gaudent de execrabili lucro, quàm de sanctâ paupertate, quàm sanctè voverunt, & nunquam servaverunt. Quare habitu & nomine sunt quidem pauperes monachi: moribus verò divites Apostatæ, babylonici, peccati mancipia. Pauperes quidem sunt, dum monasteria inprediuntur, cum autem paupertatem observandam voverint, divites fiunt. Atq; ita Deo & hominibus illudunt, dum pro paupertate sufficientia subsidia ad vitam consequuntur: Imò verò interdum superflua sortiuntur. De quibus probè D. Hieronymus ad Nepotianum. Queritur, dicens, nonnulli sunt ditiores monachi, quàm fuerunt seculares & Clerici, qui possideant opes sub CHRISTO paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerunt, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos. Divites quoq; & Nobiles monasteria ingrediuntur, fiuntq; tales pauperes augendo potius divitias, quam eis renunciando. Nam monasteria ingredienti bona sua pauperibus nō dant, sed illis mercantur perpetuum patrimonium, ita ut de suâ vitâ sustentanda deinceps nō sint solliciti. Quod genus hominum Jesuitarum societas quàm libentissimè amplectitur: Hi enim neminem ad



suum ordinem admittunt, nisi aut sapientem, aut divitem. Quis, quæso, hanc paupertatem esse affirmabit, quæ plus possidet in monasterio post emissum paupertatis votum, quàm in seculo? Nemo profecto sanæ mentis. Nam paupertas secundum omnes consistit in aliquâ abdicatione rerum temporalium, quas isti nequaquam abdicant. Quæ abdicatio est ista, quæ res in proprio dimittitur & in communi retinentur? Imo verò & in proprio retinentur, ut mox patebit. Hæc nō est abdicatio rerū, sed alteratio modi habendi illas. Nam res, quas antea in proprio possidebāt, nunc in communi possidēt. Quare illis se nō abdicat possessor, dum in communi adhuc eas retinet. Nam possessio in communi nō est abdicatio rerū temporalium, ut patet in communitatibꝫ politicis, sed potius libera possessio. Res quidem civiū in unā cistam conferuntur, non tamen abdicantur, sed potius ad ipsorū commodū tutiūs conservantur. In monasterijs idē fit: quod si quis habeat pecuniā suā industriā acquisitā, is, quò tutius illam possit exponere, eam reponit in publico ærario trium clavium, quam deinceps extrahit, quando ipse vult, & impendit vidente superiore & alijs, prout vult, quod nō fuisset ausus, nisi eā in ærario communi deposuisset, accusaretur secus apud superiorem & tanquā proprietarius, ut ajunt, puniretur. Ergò ex collatione bonorum in commune ærariū major relaxatio paupertatis, & licentia habetur, nedum possessio. Licentiosum ergò divitem dixeris monachum, nedum liberum. Sic n. pauper non est, ergò dives omninò est. Quia qui in communi possidet, cum sit habens, dives est absolutè. Paupertatem ergò voventes hodierni Monachi Deo & hominibus illudunt.

Jam hic demonstrandum erit ipsos non in cōmuni solum, sed in proprio quoq; possidere bona, & in specie pecuniam auream & argenteam, rotundam, quæ benè currit. Hic non est sermo de superioribus, quibus licet habere & contrectare pecuniam liberè, sed de privatis monachis. Isti omnes & singuli nemine excepto sunt proprietarij divites, pauper nemo est, nec esse vult. Qui non habet, contra promissæ paupertatis votum ut habeat, disquirit. Quidam enim à filijs spiritualibus in audiendis confessionibus eruscant, alij à parentibus & consanguineis: alij à concionibus & missarum celebrationibus: alij mendicando, alij decipiendo. Et sic deinceps tot modis & artibus utuntur, ut pecuniam consequantur, quot

nemo



nemo mortalium ad amicum excogitare poterit. Dolis enim in-  
structi modo hunc, modo illum insidiosâ pietate aggrediuntur:  
Hic enim pro templi ædificatione, monasterijq; reparatione, alter  
pro vestimentis emendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro  
redimendis captivis, alius pro alijs necessitatibus, quas dolosè al-  
legantes circummeunt & blandulè ab omnibus poscunt, & cupidif-  
simè accipiunt. Panormi quidam Laicus conversus, ut ajunt, qui  
pro ædificatione templi mendicabat, in officinis & plateis publicis  
scurram agebat, atque eâ scurrilitate tantam ex palpabat pecuniâ  
ab omnibus, & vel maximè à nobilibus, ut interdum numerum  
nesciret. Semul extorsurus ab hoc aliquam summâ pecuniæ Guar-  
dianus Monasterij S. Francisci ei deditâ operâ carcerem minatus  
est, in quem ille ne detruderetur, respoudit, non est, quod carce-  
rem mihi tua Paternitas minetur: Sed potius suam mihi voluntatē  
rectè adaperiat, jubeatq; quid à me cupit, egò verò omninò ipsi sa-  
tisfaciam. Is jocando volūtas mea est, inquit, ut mox trecentos co-  
ronatos succursurus necessitatibus monasterii pendas. Nihil præ-  
terea tua cupit Paternitas? regerit ille. Nihil Planè pro hac vice, re-  
spondet Guardianus, Benè est. Interim suam ascendit Cellam laicâ,  
saccumq; plenum argento attulit, ac Guardiano carcerem urgenti  
quingentos illicò Coronatos numeravit. Quos lætabundus in eū-  
dem saccum Guardianus recollegit, atque, ut par erat, custodivit.  
Quod omnes quotquot præsentis eramus, demirati sumus. Ille au-  
tem mirum in modum in Guardiani gratiam redierat, qui argen-  
teis lanceis victus sæpe illi blandiebatur.

Illud autem horrendum maximè est auditu, quod quidam Cle-  
ricus nec dum Sacerdos inauguratus quo pecuniam unâ simul ha-  
beret, auramq; popularem aucoparetur, perpetravit. Is cum pedes  
capuâ Neapolim discessisset, splendidum ei quoddâ in via occurrit  
funus, cui deducendo se adjungit exequiaturus. Atq; cum Templū  
ingressus fuisset cum alijs funus deducentib; exequias celebravit,  
& pro more tanquam inauguratus sacerdos esset, sacris vesti bus  
se induit missamq; pro defuncti animâ legit. Hâc lectâ tres Julios,  
qui hujus Saxonicæ monetæ conficiunt grossos novem, accepit. O  
incredibilem audaciam! Quamvis non inauguratus esset sacerdos,  
non dubitavit tamen, tantum scelus idolatriæ committere. Et po-  
pulum ad adorandum panem simplicem sine ullâ corporis Christi



concomitantia provocare, & invitare, quō tanquam sacerdos honorificē exciperetur, & pecuniam lucraretur. Tantā æstuant aviditate acquirendarum rerum temporalium & aucupandorum honorum hodierni Monachi. revera ita est. Quæ enim stratagemata, quas artes, & astutias non adhibuit Frater Johannes Baptista Larinensis, quō Cardinalatum consequeretur? Quæ hypocrisis Episcopati renunciavit, qui consuetudine quādam certā ab Ecclesiā Romanā omnibus minorum Conventualium ordinis generalibus offertur, nisi quia summa & eminentiæ dignitatem lupus inhiabat? Sed superbos & arrogantes novit Deus humilare, contra quem nec consilium nec sapientia, nec prudentia quidquam valent. Divinā n. dispositione factum est dubio præcul, ut non modò non ipsum adjuverint suæ adhibite astutiæ, sed confuderint. Nam jam in ordinem redactus in angulo Assisienti obscurus & despectus jacet. Januarius Roccus homo indoctissimus omnium scelerum sedes & requies, qui Neapoli cum Guardianum ageret, (pro eo quod dicendum erat Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis, jubebat dicere, Sancta Trinitas, unus Deus ora pro nobis) (ostolidum pecus) Cœlum Terræ miscuit quō in eodem officio confirmaretur sæpe? His plura non adjungam, præterquam unū adhuc Exemplum, quo & proprietas recentium Monachorum paupertati contraria planius pateat, & superiorum Tyrannis non lateat. Hoc autē allato huic Tractatui coronidem imponam. Prolixè enim narrationem deducere atq; omnium omnia Exempla & acta huc conjicere quis posset? Hæc enim nec chartæ reciperent, nec calamus exarare posset! Ergo alijs relictis ultimum cape exemplum, benevole lector, quod Bononiæ in quendam ægrotum Monachum editum est. Is gravius solito correptus morbo mortem supervenientem formidabat. Itaq; præoccupaturus faciem Domini salutari poenitentia suam Confessarium advocat, eiq; sua scelera confitetur, inter quæ illud quoque protulit, se accusans, non servasse paupertatis promissæ votum, sed pecuniam ad usum suæ necessitatis penes se habuisse, ac pro lubentia eā usum fuisse. Et subjunxit hujus pecuniæ adhuc bonam summam abstrusam sub illā Crucifixi imagine extare, quam si vixero, in communi ærario pro more deponam, sin autem minus, post obitum meum Monasterio incorporetur. His



His & similibus auditis, impositâ pœnitentiâ pro more Ecclesia-  
stico, eum absolvit. Post autem aliquos dies, adjuvante Numi-  
ne ex morbo recreatus convalescebat, ac convalescens Confessa-  
rio displicebat. Nam quod in confessione de pecuniâ audiverat,  
Provinciali retulit, qui ægroti cellam ingressus illum visitandi  
prætextu, vel potius ejus pecuniam Crucifixi imagine tectam ra-  
piendi gratiâ: Factis paucis verbis manum ad imaginem, quæ pro-  
pè lectum parieti adhærebat, porrexit, atq; eâ ablata saccus plenus  
pecuniæ apparuit: Quem ad se rapiens Provincialis carcerem  
porrò ægroti minabatur, ac proprietatis eum accusabat. Ecce  
autem utriq; transgressores extiterunt: Alter enim paupertatis vo-  
tum contemptui habuit, alter tyrannidem contrâ Christianam pie-  
tatem insolenter exercuit. Hæc autem ad alia scelera hujus ma-  
teriæ nihil, quæ omnia amissim adducere tædet, & brevitatis pro-  
hibet. Hæc autem omnia præpostera hinc scaturiginem habent,  
quia legem & divina præcepta suis pharisaicis constitutionibus vi-  
li pendunt, sua verò statuta illis præferunt, nedum paria faciunt.  
Hos ergò propterea quisq; caveat, qui suis constitutionibus & le-  
gibus tenebras lucem, & lucem tenebras dicunt. At quâ cautio-  
ne cavendi sunt? Illâ, quâ lupos cavemus, eosq; procul ab ovibus  
abigimus. Eâ cautione quisque à se illos propulset, quâ Salvator  
docet cavendos, dicens, Attendite à falsis prophetis, qui veniunt  
ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.  
O sanguinolentissimos & truculentissimos lupos, leonibus auda-  
ciores! Certè non minus Ecclesiæ Christianæ evertendæ operam  
navant, quam lupo ovium vitæ insidiantur. Imò verò plus isti  
nocent, quam lupo! Quis enim loporū tam acriter, tamq; libe-  
rè ovibus rapiendis insidiatur, ut isti malis suis artibus, tyrannide,  
insidiosâ pietate, aviditate & id genus, animabus seducendis invi-  
gilant? Illi terrentur, arcentur, ac procul abiguntur facilè, quia  
cognoscuntur: Isti verò ignoti inter oves ovium velamina gestan-  
tes suâ perfidiâ eas orco maciant, astutiâ, dolo, fraudibus, insidijs,  
& mendacijs earum bona sine ullo DEI timore, sine ullo proximi  
amore, qui nimis inculcatus est, incredibili ardore, inquirunt, in-  
quisita & inventa rapiunt, rapta tenaciter possident. Verbis omnia,  
quæ sunt hujus mundi, deseruerunt, factis nihil est hujus mundi,  
quod



quod partim re non possideant, partim affectu non concupiscant. Lupi omninò rapaces sunt, quia prætextu pietatis vitæ austeritatē, castitatē, paupertatē, sanctam simplicitatem extrinsecus simulant: intus verò exquisitissimis deliciis & variorum ciborum copijs ventrem suprâ omnem secularium luxuriam implent. Lupi rapaces sunt, quia ovium vellere amicti ut Belis sacerdotes in penetralibus templorum & monasteriorum oblata cum non suis uxoribus, imò verò sæpe cum suis mollibus avidè devorant, merum insatiabiliter ingurgitant, cunctaq; effrenatis libidinibus, quarum ardore torrentur, polluunt. Lupi rapaces sunt, quia similitudinem ovium mentientes quæ facienda dicunt, sed non faciunt: innocentium corda blandis suis sermonibus seducunt, atq; suâ e mentitâ paupertate ipsorum bona rapiunt. Ergo veri lupi sunt, imò & pharisæorū, legitimi filij, nedum imitatores sunt. Propterea quod illis minatum est falsis prophetis, id debito supplicio luent. Væ ergò vobis recentes Monachi, pharisæorū & luporū successores, qui æque Regnum Cœlorum atq; illi & vobis & alijs clauditis! Sed quibus vestrâ malitiâ illud clauditur, Christi modestiâ & mansuetudine omninò aperietur; Vobis verò clausum est jam dudū, nec aperietur, nisi seriam pœnitentiam egeritis. Quam tùm maximæ agetis, cum vota castitatis, obedientiæ, & paupertatis, quæ DEO promisistis servaveritis. Cum juxta decretum Chalcedonensis Concilij jejunijs & orationibus invigilantes sedulò atq; anxie, quippe quæ sunt ad perfectionem media, incubueritis. Cum juxta decretum Eugenij Papæ, quod habetur capite placuit, vixeritis. Cum legem DEI, quæ dilectione impletur, quantum in vobis est, servaveritis. Secus vestra vota sunt vanissima, hypocritica, sacrilega, superstitiosa, quæ qui probat, is pietatis catholicæ hostis & AntiChristi præcursor est: Jam verò hic sistendus est calamus, finisq; opellæ imponendus: Plura autem, si Numen faverit, & per ætatem licuerit, aliàs prolixius conscribemus.













Jh 2779

ULB Halle  
007 375 743

3




1017


Art.











B.I.G.

Farbkarte #13

SIMO ET POTENTIS-  
NCIPI AC DOMINO:  
DOMINO

CO WILHELMO,  
Brandenburgensi, S.  
ArchiCamerario & Electori Se-  
lia, Stetini Pomeranorum, Juliae,  
ntium, Cassubiorum & Vandalo-  
Silesia Crosnensium & Jagerndof-  
rggravio Nurnbergensi & Principi  
Halberstadenfi & Mindensi, Co-  
avensperæ, Domino Ravensteinij  
ino suo benignissimo &  
clementissimo.

CULUM HOC

*De*  
RUM MONACHORUM  
VOTIS

*offert, dicat, consecrat*

ADJUTUS S.S. Theolog. D.  
licæ Extraordinarius Professor  
Publicus,

WITTEBERGÆ

EO MICHAELIS Wendt ANNO 1650.

